350. ZELST THEODORUS VAN. Libellus singularis de
lore colico, scorbutico simili, pictonico aemulo dell' epoca
subito in podagram mutato, victo et cur
Waesbergios 1738. In 8 pic. perg

337. VASAR
chitetti.
fano. N

LIBELLUS SINGULARIS, DE PODAGRA, ET DOLORE COLICO, SCORBUTICO SIMILI, PICTONICO ÆMULO,

Per sex Annos durante, subitò in Podagram mutato,
Victo, & Curato.

AUCTORE
THEODORO VAN ZELST, M. D.
& *Practico Amstelædamensi.*



AMSTELÆDAMI
Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.
MDCCXXXVIII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Viris Clarissimis, Eruditissimis;

COLLEGII MEDICI

Amstelædamensis Inspectoribus,

D. D. DANIELI VAN BUREN, *Inspectorum Præsidi, ac Decano, Nosocomii Medico, ac Poliatro.*

D. D. GUILIELMO RÖELL, *Professori Anatomico dexterrimo, Societatis Indiæ Orientalis Medico.*

D. D. SAMUELI SEULLYN, *Collegii Architalassici Medico.*

D. D. JOHANNI HANEDOES, *à Justitia Medico.*

Nec non

Viris vita integris, ac probitate conspicuis

HIERONIMO DE BOSCH, JOANNI VANDE POLL, } *Pharmacopæis peritissimis.*

Cordatis rerum Medicarum Ruspatoribus sedulis, ratione, & experientia Magnis.

Hoc qualecumque D. D. C.

Auctor.

DEDICATIO.

VIRI CLARISSIMI, ERUDITISSIMI,

Nec non

Viri vita integri, ac probitate conſpicui.

UM per longam annorum ſeriem, ſinceram, ac infucatam amicitiam colere licuit cum D. D. Henrico van Bronkhorſt, Medicinæ Doctore, ac Practico apud Amſtelædamenſes, ut feliciſſimo, ita celeberrimo, Viro excelſo ingenio, eruditione, ac peritia excellente; cum ipſo per plurimos annos literarium commercium colui de rebus, quæ Praxin Medicam concernebant, & illi ſæpius in caſibus obſcuris ac arduis, à conſiliis præfui.

Sed

Sed cum Reipublicæ Amſtelædamenſis cura ipſi ſemper cordi fuit, me ſæpius incitavit, ut Praxin Medicam ibidem loci exercerem, quam modò, tam Leidæ, quam Beverowici, per triginta quinque annos excolueram. Ejus itaque perſuaſu, hanc in urbem tam Procerum, quam civium opibus & divitiis ſcatentem, me ad Praxin Medicam exercendam contuli.

Præterea non parùm allicuit civium, ac Procerum modeſta conſuetudo, atque alacritas, qua tam Incolas, quàm Exteros excipere ſolent, & magis magiſque ardorem ad ſtudia Medica incitavit. At ne plane hoſpes peregrinus inter incolas ſim, conſtitui publici juris facere Libellum, mole quidem parvum, ſed materia, in qua diu ſudarunt perſpicaciſſima Lumina, magnum.

Cui enim non innotescit, quod ingentia Observationum Volumina, de hac Materia, aliisque Morbis chronicis conscripta, publici juris exstent; ex quibus parum, aut nihil proficimus, vel ab Experientia rectè facienda, vel ex eorum mentis abstractionibus, quibus putarunt sensuum ductum fallacissimum, rerumque particularium infinitum, ac sine exitu numerum; quod falsum esse, quotidie observamus, cum videmus accessiones bonarum artium non nisi sensibus, & experientiæ debere.

Quis non videt, quam multa sint, quæ casu docti sumus? nam majorem remediorum partem ita inventam scimus, aliaque plura selectiora. Quod si tantùm potest casus, quid est, cur id sensibus ordinatè progredientibus negemus? qui, quamvis

vis interdum errent, errores tamen ſuos, & indicant & corrigunt.

Nam hi ipſi diuturnam Morborum explorationem, ad veritatis culmen perductam, & tanquam naturæ conſonam, ad majora promoverunt.

Nonne hoc luce clarius eluceſcit, in uſurpato Colici ſcorbutico ſimilis nomine, apud Auctores notato? Quid enim hic morbus aliter eſt? quam Podagra, ſive hæreditaria, aut adventitia, quæ ob labefactatam humorum coctionem, & ſpirituum inopiam, per propria ſua emunctoria, ad corporis peripheriam deferri nequit, ubi ejus ſedes eſt, ſed non in partibus membranaceis meſenterii, peritonæi, aliiſque, pro dolore colico ſcorbutico habitis; at plurimi Medici hoc malum in inteſtinis quæſiverunt,

ubi non erat; undè tot horrenda, & inexſpectata ſymptomata, cum motibus ſpaſmodicis, ac Paralyſi ſpuria totius corporis, excepto capite.

Hinc tot enemata, purgantia diverſa, fomenta, narcotica, venæ ſectiones, aliaque quam plurima incaſſum adhibita ſunt, ad hoſce enormes dolores leniendos, at hiſce remediis non cedunt, & fortioribus irritantur.

Et quia hæc materia Podagrica, per plurimos annos latitare poteſt, ut tales tragædias exercere queat, ac inſtar PROTHEI, in varia ſymptomata variari poſſit, prout corporum diverſitates ſeſe offerunt, & labefactata humorum concoctio matura, aut immatura eſt, quo citiùs, aut tardius, in actum deducitur, & materia peccans talia pro-

producit ſymptomata, pro materiæ peccantis quantitate, aut qualitate, ac corporum diverſitate; tum in Colicos ſcorbuticos, tum in diuturnos abdominis dolores, tum in Podagricos retroceſſos, alioſque tranſit.

Non mirum igitur, quod quotidie in Praxi obſervamus, quod dolores Colici, facile in Arthriticos, Podagricos, ac Paralyſin, degenerare poſſint; & è contra, Arthritis, Podagra, Paralyſis, in dolorem Colicum mutentur, ut unanimi conſenſu teſtantur Auctores.

Interim viri ſpectatiſſimi, vobis offerimus hunc Libellum de Podagra, & dolore COLICO Scorbutico Simili, PICTONICO Æmulo. Sereno vultu ut eum recipiatis unicum eſt, quod rogo, quæſoque. Quo fretus favore confido, hanc meam

gratitudinis tesseram, æqua mente iri susceptam, qua ulteriori Vestro favori me commendo, ut sint erga Vos meæ observantiæ monumenta, quibus, quam diu vixero, gloriari, ac testari mihi liceat.

Interim D. T. O. Maximus, vos omnes, & singulos diutissime servet incolumes, ac felices, quod optat animitus

Vestris Nominibus addictissimus

&

observantissimus

THEODORUS VAN ZELST.

M. D.

DE PODAGRA,

Et Dolore COLICO, Scorbutico Simili, PICTONICO æmulo,

Per ſex annos durante, ſubitò in Podagram mutato.



RO tertio Doctore, in Conſilium vocatus die 16 Juny 1737. cum D. D. P. & D. D. G. in ædibus D. J. K. ad virginem honeſtiſſimam, viginti ſeptem circiter annorum, filiam D J. K. Mercatoris Amſtelædamenſis celebris, temperamenti bilioſi ſcorbutici, quæ per ſex integros annos dolore Colico Scorbutico cum cruciatu, & dolore intolerabili luctata fuerat.

Nunc totum Meſenterium, nunc peripheriam Corporis obſidebat, quandoque de uno in alium locum mutabatur; unde nimia paſſim vi, & copia conſumpſit, expulſitque, quicquid roris ſubtiliſſimi aderat ſucci nutritii, quicquid humorum ſpirituoſioris, humidioris, nobilioriſve, unde exſiccata nimis atque calefa-

facta remanserunt reliqua, cum doloribus rheumaticis, nec non contractionibus spasmodicis, usque in sphincterem ani, & vesicæ, imo ad extremos pedes exporrectis, pulsu debili existente, celeri, & inæquali, cum urina instar picis liquidæ atra, consistentiam bilis ac olei Lini cocti referente, nonnunquam turbida, & varia, alvo adstricta.

Quo quidem à dolore, per varia tunc temporis adhibita remedia per D. D. G. per aliquot dierum spatia liberata est, sed brevi temporis spatio, dolores demum reduplicabantur. Undè Nervosum genus universum, partiumque Membranacearum, & tendinosarum structura, motu tremulo & spasmodico, quasi contracta sunt, cum vigiliis, deliriis, symptomatibusque horrendis, & inexspectatis, lipothymia frequenti, appetitu prostrato ac nausea perpetua. Ructus, vomitus porraceæ & æruginosæ bilis, singultus, miseram ægram fatigabant, cum siti inexhausta, & stranguria molesta; cum acutissimo dolore ventriculi, intestinorum, lumborum, ilium & inguinum, dilacerabatur ægra; cum paralysi spuria, atque scorbutica, utriusque brachii, manuum & digitorum motum impediente, ut eos neque flectere, neque extendere poterat,

fal-

ſalvo tamen ſenſu, valdè emaciata, ac viribus planè enervata erat.

Interim rogavi prædictos D. D. ut caſum hujus morbi proponerent, & quibus medicamentis ægram tractaverint; quoque regimine diætæ.

Hi D. D. (ſalva tamen cum venia, & auctoritate) acriter tenebant, Colicam eſſe Pictonum, cum Paralyſi utriusque brachii manuum & digitorum. Sed ego Scorbuticam affirmabam, Pictonum ſimilem; cum Paralyſi ſpuria Scorbutica, utriuſque brachii, manuum & digitorum motum impediente; ab acerbiſſimis doloribus, nervoſum genus afficientibus, debili ſanguinis conſtitutione, ac vigore ſuppreſſo, à nimio clyſterum, purgantium, venæ ſectionum & narcoticorum uſu; cum appetitu proſtrato, vomitu, ac nauſea continua,& doloribus acerbiſſimis, à longo tempore tam diu iteratis, ac partium balſamicarum ſanguinis depauperatione; unde bile indies magis magiſque accenſa, & acriori facta, dolores quotidie fiebant acriores, ac intolerabiles, cum motu tremulo atque ſpaſmodico totius corporis, uſque in veſicam, & ſphincterem ani, undè alvus ſemper conſtipata, ut neque fæces, neque urinas, exonerare potuerit, niſi ope clyſterum,

&

& purgantium uſu; neque dolores unquam mitigari potuerunt, niſi venæ ſectionum & narcoticorum applicatione.

Nam bilis per venas inteſtinorum, eorumque tunicas & plicas in nervoſum genus effuſa, dolores acerrimos excitare poteſt, qui diuturni & contumaces eſſe ſolent; quia difficillimo negotio à partibus nervoſis, ac membranaceis poteſt avelli.

Tunc prædicti D. D. meum implorabant conſilium, atque auxilium, quid hac in re tam ardua eſſet agendum; quapropter proponebam aliquod ſpecificum, quod ſæpè, ac ſæpius, tam in Colica ſcorbutica, arthritica, bilioſa, quam in ipſa Podagra retroceſſa, ſummo cum ſucceſſu applicare licuit.

Hi autem prædicti D. D. rogabant, quale Medicamentum hoc eſſet; dixi quod eſſet Tinctura Mineræ Mart. Nativæ, ſingulari modo præparata, quam mox præſcripſeram, ſequenti modo

℞. *Aqu. Antiſcorb. Amſtelæd.* ℥x.
—— *Antiſcorb. Syd.* ℥ij.
Tinct. Min. Mart. Nat. ℥iij.
Syr. Cich. c. Rh. ℥ iß. *M.*
De hac mixt. ſingulis biboriis aſſumſit ægra [illegible] *ad* ℥ij.

Se-

Secundum autem Consilium quod habuimus 17 die Junii erat, tunc ægra ab usu præcedentis mixturæ bis alvum deposuit, cum excrementis atris liquidis.

Urina crassa, biliosa, oleosa, atra, instar olei lini cocti consistentiam referens, quæ prima die, sive in primo consilio apparuit; jam in secundo consilio in flavum colorem mutata erat, sed turbida, cum cessatione omnium dolorum tam internorum, quam externorum, absque ullo motu tremulo aut spasmodico.

Quæ omnia tam horrenda, & inexspectata symptomata, viginti horarum spatio evanuerunt, & ab illo tempore, in hunc usque diem, nunquam, quod scio, aliud hac de re symptoma experta est.

Qua propter prædicti D. D. valdè mirati, rogabant, ubinam tam citò bilis atra manserit, quæ ægram fere per totum morbi cursum tam acriter vexaverat, quamque in illo tempore per urinas evacuaverat? quod hæ jam tam subitò in flavum colorem mutatæ sint, cum cessatione omnium dolorum.

Et ego, ubi tam citò motus tremuli atque spasmodici, ubi tam citò dolores, cum alvo adstricta, aliaque symptomata horrenda, & inexspectata?

Cum nunquam antehac, nisi clysterum,

rum, ac purgantium ope, alvum poterat ſubducere, niſi altero die demum magis eſſet conſtipata, cum prædictis ſymptomatibus horrendis, ſed gravioribus, quæ (more ſolito) redibant.

Ergo Conſilium *tertium* defertur in alterum diem ſc. 18 diem Junii, & ægra uſum hujus Mixt. Antiſcorb. præcedenti modo continuavit, quando altero die in conſilio vidimus, quod ægra in multò meliori ſtatu ſeſe habebat; cum ceſſatione omnium dolorum, ac tanta evacuatione bilis copiæ, ut urina non amplius eſſet bile tincta, cum pulſu meliori, æqualiori, & omnium planè ſymptomatum remiſſione.

Sed quid fit? conqueritur ægra; quod aliqualem dolorem in pede dextro ſentiret, qui dolores per totam pedis dextri partem diſpergebantur.

Quapropter non ſine ratione concludebam, quod dolores Colici, cum quibus jam per ſex annorum ſeriem, tam miſerè noſtra luctata fuerat ægra, tam ſubitò in dolores PODAGRICOS eſſent mutati, quod ſæpè fit, & iteratis vicibus expertus ſum, in diverſis caſibus; ſed quod dolores per partem totam pedis dextri eſſent diſperſi, non mirum.

Nam ulterius ſeſe extendere non pote-

terant, propter labefactatam humorum indigestionem, ac spirituum inopiam, & doloribus acerbissimis tam diu iteratis, ac partium balsamicarum depauperatione facta; cum propter debilem corporis dispositionem, tales dolores PODAGRICI, ad propria sua emunctoria sese exonerare non poterant, ubi necessario debuissent amandari. O DIVA PODAGRA! plurimorum morborum Chronicorum tuta curatrix.

Sed quam gratum hoc fuit, tales dolores observare, judicandum relinquo illis, qui hunc morbum diligenti observatione sæpius tractaverint.

Sed quid fit? prædixi D. D. qui mecum in Consilium aderant, quod morbus, cum quo tam diu luctata nostra fuerat ægra, in alium morbum esset degeneraturus, scilicet in PODAGRAM.

Quid autem fit? hi D. D. irridebant me senem, ac si stultescerem, quod talia, incondita verba proferre valerem; ac cachinnis exposuerunt eum; forsitan? illis nunquam talia in Praxi reperire licitum fuit, aut si contigerit, (quod non dubito, sæpius contigisse, ob frequentissimam praxin, quam hac

in civitate prægrandi exercent), neglexerunt.

Nam mihi relatum est, quod doloribus arthriticis, sive podagricis, sæpius fuerit obnoxia; sicque quotidie, sive per fomenta, empl. aut innunctiones externas, cum aq. Antiparalytica, & ol. Kinkinimalo, sive clysterum, aut purgantium usu, materiam morbificam, à Peripheria ad centrum corporis quotidie deduxerunt; undè dolores in corporis Peripheria, quidem mitigati; sed iterum ad centrum corporis deducti, planè intolerabiles facti sunt.

Indè quotidiè, tam horrenda symptomata, irregularia, & inexspectata, cum motu tremulo, atque spasmodico, usque in sphincterem ani, & vesicæ exporrecta, cum vomitu continuo & propensione ad diarhæam.

Sed dico, & affirmo, quod tales dolores non alii sint, quam podagrici, & hic morbus non alius sit, nisi Podagra, quæ propter humorum indigestionem, & spirituum inopiam, ulterius sese extendere non potuit; & non aliam agnoscunt causam proximam, tam in partibus, quam in succis corporis universis, quàm labefactatam concoctionem.

Nam

Nam ſpiritus animales, qui præcipua coctionis inſtrumenta ſunt, per totum corpus deficiunt, immodico calore, & ſpiritibus conſumtis, unde corpus flacceſcit, & coctiones non amplius rectè promoventur, ac ingens humorum colluvies ſanguinem opprimit, ac viſcera ſuffocat; donec tandem calorem putreſcentem acquirit, prout anſa ejuſmodi humoribus in motum ciendis data fuerit, & pro ſubjectorum, & humorum diverſitate, varios chronicos producit morbos, uti noſtra in ægra *Podagram.*

Sed mecum obſervate quæſo, quod talis materiæ podagricæ ſedes, non ſit, nec eſſe debeat in ventriculo, aut inteſtinorum circumferentia, ſed in corporis Peripheria, ſcilicet in manibus, pedibus, brachiorum articulis, genubus, aliiſque corporis partibus.

Et quia in præcedentibus dixi, quàm facilè iſta materia peccans podagrica in colicam mutari poſſit, & è contra dolor Colicus in Podagram, alioſque morbos chronicos; tam facilè iſta materia peccans, ad Peripheriam corporis poteſt deduci, quod in ſequentibus clariſſime patebit.

Sed oblviſci non poſſum, quod D. D.

me risui, & cachinnis exposuerint: quapropter illis respondebam, ne me irrideatis, aut cachinnis exponatis, sed exspectate, & videbitis, quid dies diem de Podagra docturus sit. Hinc ego proposui, ut à medicamentorum usu pro tempore abstineremus, quia medicatio podagræ magis opus naturæ, quam artis est; libenter hac in re concesserunt, ergo Consilium 4. defertur *ad* 19 *diem Junii*, quando dolores in pede dextro valdè exacerbati erant, per totum pedem, neque dolor pedis extremitates attingere patiebatur, propter humorum indigestionem, & spirituum inopiam.

Interim ægra bene sese habebat, edebat, & utebatur vino antiquo generoso Rhenano, unde sanguis, & viscera majorem acceperunt vigorem, ut dolor podagricus, in extremitates pedis dextri magis magisque posset deferri.

Sicque corpus sanum constitutum est, nisi quod dolor in extremitate pedis quam maxime urgebat; Quapropter cum clarissimo Sydenhamio concludebam, *quod dolor in Podagricis amarissimum esset pharmacum*, & tuta curatrix plurimorum morobrum.

20. autem die Junii, in quinto Con-

ſilio, quod habuimus, hi D. D. videérunt podagram extremitates pedis dextri occupantem, cum corpore ſano. Et quia ſpectatorem hac in re potius agere conveniebat, quam debilem ægram medicamentis ulterius vexare; quapropter hi D. D. acriter urgebant ægram valedicere, & meæ ſolæ curæ committere, quod renuebam, nam valdè urgebam, ut finem reſpicerent.

Quapropter Conſilium defertur ad 23 diem Junii, quando ægram in tali ſtatu ſanitatis viderunt conſtitutam, ambulantem per cameram, ſed propter dolores Podagricos claudicantem, &, cum ſederet in ſella, brachia tollebat ſupra caput, quod plurimorum annorum ſpatio paragere non potuerat; ſed manus adhuc permanebant contractæ, ſalvo tamen cum ſenſu.

Tum deliberatum eſt, quid eſſet agendum in hac re tam ardua, ut manuum priſtini motus recuperarentur; & quia prædicti D. D. adhuc acriter tenebant, quod membra eſſent paralytica, ſed non contracta, quapropter iterum ad inunctiones, cum Aq. Antiparalytica, & oleo Kinkinimalo confugere vellent, quod modò ſæpius ſine ſucceſſu probarunt; undè dolores iterum à Peripheria ad Centrum cor-

poris deducti, illos atrocissimos excitabant; ac humores multò acriores redditi sunt, ut ægram in summum vitæ periculum conjicerent.

Ergò acriter tenebam, quod membra non essent Paralytica, sed Contracta, propter rationes in præcedentibus allegatas, & propter motum, & sensum, ac dolores, quos continuò in manibus sentire licuit.

Quapropter proponebam pulverem fumalem sequentem

℞. G. *Carannæ.*
Myrrhæ.
Mastich.
Olibani. aa. ℥ij.
fl. rof. rubr.
*Lavend. aa. M*ß. *M.*

ac rejeci spirituosa, quia sæpius sine successu probata fuerant.

De hoc pulvere, bis de die, singulis vicibus à ℥j. ad ℥ij. super carbonibus projiciebatur, ac fumus linteis susceptus recipiebatur, ut manus & articuli digitorum, ac juncturæ fricarentur, sic nostra ægra, motu per vigiliam diu amisso, in tantum restituta est, ut ambulare, manus atque digitos movere, sola edere, bi-

bibere, aliaque naturalia agere posset, quapropter hi D. D. acriter urgebant ægram valedicere, at ego valde illos persuadebam, ut finem respicerent.

Ergo Consilium defertur ad 27 diem Junii, tunc ægram viderunt in tali statu sanitatis constitutam, ut omnia munia naturalia peragere posset; ita ut spatio undecim dierum (nisi Podagra, & virium debilitas obfuisset) pristinæ sanitati fuisset restituta.

Interim statuto tempore D. D. P. solus appropinquavit; ac ægram meæ solæ curæ commisit, ac valedixit.

Et quia humorum languescentia, ac spirituum inopia, defatigatam ægram tam debilem reddidit, sequ. mixturam præscripsi, de qua singulis bihoriis assumpsit ad ℥ij.

℞. *Aqu. Antiscorb. Amst.* ℥x.
— *Antiscorb. Syd.* ℥ij.
Tinct. Min. Mart. Nativ. ʒiij.
Syr. Cich. c. Rh. ℥ij *M.*

Undè altero die bis alvum deposuit, cum excrementis atris liquidis, ingenti humorum colluvie repletis, cum cessatione omnium dolorum.

Interim usum hujus mixt. continua-

 vit,

vit, inde tanta bilis, ac ſaburræ copia ſeſe evacuavit, unde ſanguis, & viſcera, quæ quaſi ſuffocata videbantur, novum acceperunt vigorem, ac labefactata ventriculi concoctio brevi temporis ſpatio evanuit; ita ut cibos omnes, etſi concoctu difficillimos, jam facilè ferre potuerit.

Pro potu autem ordinario utebatur cereviſia tenui benè defæcata, & bis de die, cereviſia Brunſwicenſi ad ℥iij recenti; unde corpus brevi temporis ſpatio, mirum in modum invigoratum eſt; ità, ut ſpatio viginti duo dierum in integrum fuerit reſtituta; & Leidam, Hagam Comitis, alioſque locos petiit, ad viſitandos amicos, & bene conſtituta ad proprios rediit Lares.

Et quia manuum juncturæ adhuc erant debiles, quæ manuali opera agitari, flecti, & extendi debuerant, curavi, ut linteis ſcabris, ſuper carbonibus, cum pulv. fumali præcedenti fumo imbutis, bis de die juncturæ fricarentur.

Sic motum per vigiliam diu amiſſum, manus iterum recuperarunt; ut omnia agere munia ſola poſſet, & in hunc uſque diem (jam menſis Aprilis eſt 1738. dum hæc ſcribo) adhuc optima fruitur valetudine.

Sed

Sed quam primum illam iterum viderem, Haga Comitis reversam, illa mihi planè innotuit, & nisi loquuta fuisset, non cognovissem, ita, ut nulli credere fas sit, quantum in corporis gravitate, ac viribus, quatuor septimanarum spatio, robore, ac pinguedine assumserat, & spero, ut D. T. O. M. illam diu ità conservet, ut vix credibili patris, fratrum, ut & nostro gaudio, diu sana superstes mansura sit.

De Dolore Colico-Scorbutico, per quinque annos durante, subitò in Podagram mutato.

Vocatus ad D. N. N. Mercatorem quem reperi gravissimis doloribus correptum, præprimis circa præcordia, atque totas infimi partes ventris. Ventriculus torqueri incipiebat, ita ut stare, aut meare de uno in alium locum, nesciret æger; plurimas noctes insomnes traduxit, extrema frigebant, & ab universo corpore humores in ventrem profluebant, cum nausea continua, vomendi conatu, & propensione ad diarhœam.

Urina colorata erat, cum sedimento rubro, arenulis referto, appetitu prostrato, alvo constipata, cum rigore, ac

gravitate totius ventriculi, & intumescentia corporis quaſi ventoſa, cum ſumma ventris cruditate, ac gravitate, atque motibus ſpaſmodicis, cum ſudore frigido, per totum corpus diffuſo.

Mox paroxiſmi podagrici ſuſpicio aderat, uti ex ægri relatione, & adſtantium percepi, quod modò per quinque annos talibus doloribus fuerit correptus, ſed quandoquidem Arthrit. atque Podagricis; quapropter variis Medicorum conſiliis, tam Leidæ, Hagæ Comitis, Rotterodami, quam Amſtelædami uſus erat.

Qui neque Clyſteribus, neque fomentis, neque aliis remediis, hoc malum ſuperare potuerunt, quapropter præſcripſi mixturam ſequentem.

℞: *Aqu. Antiſc. Amſtelæd.* ℥viij.
—— *Antiſc. Syd.*
Tinct. Min. Mart. Nativæ aa ℥ij.
Syr. Cichor. c. Rh. ℥j. *M.*

de qua mixt. ſingulis bihoriis aſſumpſit ad ℥iij. ſed quam primum bis de hac mixt. aſſumpſerat, dolores quam maxime fuerunt exacerbati, cum lumborum, inguinum, ac coxendicum dolore acerrimo & intolerabili, ſicque humores bilioſi acres, magis in actum deducti, maxi-

ximam ſaburræ partem bilioſam, & albam quaſi gypſeam, inſtar calcis vivæ aquæ ſubactam, vomitu rejecit, in magna quantitate. Inde dolores multum mitigati ſunt, quapropter uſum præcedentis mixt. ſingulis bihoriis continuavit. Sed quia alvus tam acriter erat conſtipata, ſequens Enema præſcripſi, non ex purgantibus aut carminantibus; ſed ſolis emoll., cum ſale Epſone, & melle Mercuriali; Inde ter alvum depoſuit, cum excrementis atris liquidis bilioſis, unde omnia tam horrenda ſymptomata intra biduum evanuerunt, & eodem modo, intra biduum dolores podagrici in pede dextro ſunt exacerbati, & de pede in pedem, ad manus, carpos, digitos, alioſque locos petierunt, quos leni diaphoreſi in corporis peripheria detinuimus; ſed æger admodum debilis erat, emaciatus, atque defatigatus ſummopere, quod non mirum videtur, cum per quinque annos corpus orbatum erat viribus, ab humorum indigeſtionibus, à caloris & ſpirituum animalium defectu ortis, unde humores putredinem nacti, à mora in corpore quàm oportuerat diuturniore, ab humorum indigeſtione pendente; unde ingens colluvies humorum accumulatur, quæ ſanguinem opprimit, ac viſcera ſuffocat, tandem pu-

putreſcentem humorem producit, eodem modo, ac in maturis fructibus, pomis, pyris aliiſque, quam primum ad putreſcentiam vergunt, acorem contrahunt cauſticum graviſſimum.

Quapropter uſum præcedentis mixt. continuavi, undè humorum indigeſtiones, quæ ſanguinem ac viſcera quaſi ſuffocabant, per talia organa ſecretoria amandabat, ut in aliis humoralibus morbis fieri ſolet; ſicque humorum concoctio, ac labefactatorum ſecretio reſtituebatur, quod in pleriſque morbis chronicis idem eſt, materiam peccantem ſuo modo exterminare, vel in articulos deponere, aut per alvum aut tranſpirationem rejicere.

Sed quia viſcera ita debilitata fuerunt, ut quinque annorum ſpatio, parum, aut nihil potuerit conſumere, niſi per vomitum, cum ventris torminibus, ſummo dolore, & cruciatu debuiſſet evacuare; quapropter adhuc uſum præcedentis mixt. continuavi, cum pilulis Balſ corroborantibus, per ſex hebdomadas, undè corpus ſanum conſtitutum eſt. Nam ſex res non naturales optimè ſunt conſtitutæ, benè comedit cibos, etſi concoctu difficillimos, & omnes excretiones proprio ſuo funguntur munere,

ita,

ita, ut corpus pingue, & ſummo robore eſt conſtitutum, ac ſi nunquam ullo morbo fuiſſet afflictum.

De Dolore Colico-Scorbutico, in Atrophiam converſo.

Vocatus ad piſtorem in pago Velſen, qui per plurimos annos Colica Scorbutica fuerat affectus, cum ſummis cruciatibus, torminibus ac doloribus, & alvo conſtipata. Ita, ut in morbi principio vix ſingulis octiduis, ſemel alvum exonerare potuerit; ſic progreſſu temporis alvus ita conſtipata fuit, & permanſit, ut neque clyſteribus neque fortioribus purgantibus, alvum unquam exonerare potuerit, unde aſſumpta alimenta, ſemel deglutita, regurgitabant, ac revolvebantur ad os, ubi coactus illa demum dentibus comminuere, & beſtiarum inſtar cibos ruminare, & illud quod concoctum erat continuò per os evacuare debuerit, ſummo cum fœtore, ut nullus propter teterrimum odorem in camera permanere poſſet; cibum & potum interim per intervalla aſſumebat, ſanorum inſtar; cùm contractura totius corporis, ſive Paralyſi ſpuria, atque ſcorbutica, (excepto capite), manente ſenſu in integro. Quapro-

propter corpus interdum atrophia correptum, ac enervatum, cum ſpiritibus exhauſtis, miſerrimam per tres integros annos traxit vitam, donec tandem placide obdormivit.

Ruminationis humanæ, Fabritius ab Aquapendente primus (quantum ſcio) meminit; in calce libri, de varietate ventriculi, ſed J. C. Payerus in Merycologia, plurima Ruminantium hominum allegat exempla, ſed ex diverſis ſcriptoribus.

De Dolore Colico-*Scorb. in* Hydropem *mutato.*

Vocatus ad prænobilem Dominum A. D.H Equitum Præfectum, poſtquam per plurimos annos Colica Scorbutica, per ſimilitudinem dicta, laboraſſet, & cura D.D. H. Bronkhorſtii commiſſus fuiſſet per plurimos annos, tandem incidit in Hydropem Anaſarcam, cum ventris, pedum, faciei, ac manuum tumore, reſpiratione difficili, pulſu debili, inæquali, cum urina rubra, bilioſa, clara, arenulis referta, in minima quantitate excreta; reperi ipſum ſedentem in lecto, ſex pulvinaribus ornato, præ reſpiratione difficili dormire non audebat, etſi totus

ſo-

ſomno fuerit deditus, nam ejus ſervus vigilabat ante lectum, ob metum, ſi dormiret patiens, & à pulvinaribus decideret, mox eum fore mortuum, quod revera quoque factum fuiſſet. Tunc præſcripſi ſequentem mixturam

℞. *Aq. gemmarum pini, p. ferm. pp.* ℥vj.
Tinct. Min. Mart. Nativ. ℥ij.
—— *Vermium maj* ʒj.
Syr. de Cich. c. Rh. ʒvj.
M.

De hac mixt. ſingulis bihoriis aſſumpſit ad ℥ij. in illa nocte adhuc parum dormivit, ac bis alvum depoſuit, cum excrementis atris alvinis ſaburra repletis, & urinas evacuavit illa nocte circiter ad ℥iv. ſed admodum rutilantes.

Quapropter perſuaſi, ut ægrum de lecto removerent, ac in ſellam deponerent, quod ſex viri, etiamſi robuſtiſſimi, vix peragere potuerunt; nam nemo eorum aliter cogitare potuerat, quàm quod propter debilem corporis diſpoſitionem, ac reſpirationem difficilem in ipſo actu moriretur. Interim ſingulis bihoriis uſum præcedentis mixt. continuavit, ſed poſtquam per horam in ſella ſederat, ac bis, tervè urinas excreverat, in tribus iſtis vicibus ad ℥xij., ſuffultus à duobus viris ſub

ſub ſcapulis, ad lectum abibat, in illa nocte per quinque aut ſex horas dormivit, alvum depoſuit, ac urinas in majori copia exoneravit, quapropter tertio die patientem in meliori ſtatu reperi, cum pulſu & reſpiratione meliori, ita ut à ſolo ſervo ſuffultus è lecto ſurrexerit, ac in ſellam ſeſe depoſuerit.

Interim Nobiliſſimus ille Dominus uſum præcedentis mixt. continuavit, ac ſuffultus ſub ſcapulis, per cameram ivit bis, unde tantam humorum copiam iterum evacuavit, tam per urinas, quàm per ſeceſſum, attamen in viribus accrevit: quapropter deſiderabat juſcula ex carne bovino, ac vitulino, cum alliis, ac pane toſto; quod libenter conceſſi.

De hoc juſculo bene comedit, ac circa octavam veſpertinam ſeſe lecto commiſit, benè dormivit; & ſitis, qui ægrum antea quam maxime infeſtaverat, evanuit. Quapropter quarto de die, ſolus è lecto ſurrexit, ac in ſellam ſeſe depoſuit, & quinquies, aut ſexies ſolus per cameram ivit, baculo ſuffultus, ac iterum ſellæ ſeſe impoſuit; interim magnam quantitatem urinæ, cum excrementis atris alvinis evacuavit: ſic ventriculus ſummo appetitu cibum deſiderabat; ſed nullas adhuc accepit, niſi facilis digeſtionis per octo dies. Quin-

Quinto autem die, cum pulſarem ante foras, ille mihi ipſemet aperuit januam, etſi camera ipſius octoginta pedibus à janua diſtaret; in eo ſtatu, quotidie viribus ita accrevit, ut ventriculi humores langueſcentes, cum tumoribus abdominis, pedis, faciei ac manuum, brevi temporis ſpatio evanuerint, ac die decima quinta meis ædibus ſolus appropinquaverit, ſolo baculo ſuffultus, & quidem per diverſas plateas, ſpatio circiter centum & quinquaginta domuum à me diſtantes.

Attamen uſum præd. mixt. continuavi, ſed omiſi Tinct. Vermium Majalium, at ejus loco addidi ſalem Epſon. ad ʒij. unde in totum convaluit, & ſingulis diebus equitavit, per horas duas, tres, aut quatuor, ita ut trium ſeptimanarum ſpatio in totum convaluerit, & plures quam quinque annos athleticè, & ſano corpore conſtitutus ſupervixerit, tandem Apoplexia correptus ſubitò obiit.

De PODAGRA INVETERATA, 56. *annorum.*

Vocatus ad prænobilem D. D. J. D. M. quem Podagra quaſi conſumptum, ac enervatum reperi, & tot miſeriis patientem, ut ut unquam mihi Podagricum reperire

licuit, etsi admodum sobrius ab ipsa infantia vixerit, nam hæreditaria erat podagra.

Hic summo persuasu D. D. H. Bronckhorstii, sese ad curam lactis contulerat, & ne gru quidem ab eadem cura decesserat, per tres integros annos; tandem debilitate ventriculi corripitur, cum relaxatione nervorum, & glandularum ventriculi, totiusque mesenterii, ita ut spincter ani suas functiones amplius peragere nequiret, neque capax esset clysterem recipiendi, & propter nimiam ani dilatationem excrementa amplius retinere non posset, ac lac, quod calidum è vacca mulctum quotidie, bis, tervè assumpserat, mox coagularetur in ventriculo.

Nam vacca quotidie propè cubiculum appropinquare debebat, ut admodum calidum lac posset recipere.

Sed post longiorem lactis usum, & tractu temporis, ita coagulabatur, ut non sine summo vitæ periculo, cruciatu, & dolore, sæpius evomuerit contortum, longum, compactum, ac si à rustico fuisset, qui per plurimos dies alvum non exoneraverat, ita, ut sæpissimè syncope corriperetur, & vox quasi faucibus hærere videretur.

Quapropter præscripsi pill. ex solo Extr.

Rhei

Rhei cum ſaleTart.ut hoc coagulatum reſolveretur, ac alvus leniter ſubduceretur; quod quidem per aliquod temporis ſpatium optimo cum ſucceſſu profuit, nam ſingulis octiduis debebat aſſumere tres pill. unde ter alvum depoſuit.

Sed quia admodum debilis erat, perſuaſi prænobilem hunc Dominum, ut à lacte abſtineret, & cibis Euchymis, atque Eupeptis uteretur, quod factum eſt.

Interim Nobiliſſimus ille Dominus in meliori ſanitatis ſtatu verſabatur, abſque dolore, aut alio podagræ incommodo, ſed debilitatus, ac emaciatus ſummopere.

Et quia primaria cauſa podagræ dependet ab humorum indigeſtione, & labefactata ventriculi concoctione, à caloris, & ſpirituum defectu orta, ſive ab humorum calore, & exæſtuatione, qui putredinem, ac acredinem nacti, à mora in corpore quam oportuerat diuturniore, ab indigeſtione ſupra memorata pendente, lactis uſus coctioni, ac debilitati contrariatur, & magis obeſt, quam prodeſt, cum ſemper coaguletur.

Quod cum minus perſpectum fuerit, nonnulli incautiores in errores permagnos inciderunt, dum morbi cauſæ continenti, humorum ſcilicet calori, & acredini obviam ire ſatagentes, concoctiones

pessundiderunt, & functiones naturales prostraverunt omnes.

Me judice, optimi sunt liquores, qui neque ad vini generositatem ascendunt, neque ad aquæ debilitatem deprimuntur, ut sunt, cerevisia tenuis lupulata.

Vinum autem, licet prodesse credatur coctionibus juvandis, quarum vitia causam podagræ antecedentem jam diu statui; ratione tamen causæ continentis, omninò abesse censendum est; humores sc. fomitem morbi, jam in procinctu stantes, accendendo & exagitando; at in diu vino consuetis, ad coctiones promovendas concedi potest, sed non pro potu ordinario.

Quapropter prænobili huic Domino, ad corroborandum ventriculum, ac labefactatam humorum concoctionem promovendam, ac putredinem, atque acredinem humorum præcavendam, qui à mora in corpore diuturniore, magis putridi & acriores fiunt, evacuandam, præscripsi mixt. sequentem.

℞. *Aq. Antisc. Amst.* ℥x.
Antiscorb. Syd. ℥ij.
Tinct. Min. Mart. Nat. ℥iijß.
Syr. Cich. c. Rh. ℥j. *M.*

(Mi

(Mirabitur forſitan aliquis, quod nulla alia medicamenta præſcribam, quam Antiſcorb. cum Tinct. Min. Mart. Nativæ; cum THERAPEIA ſit orbis extenſus & unum quodque Regnum ſua propria contineat medicamina, in tam longam, & exactam ſeriem ſæpiſſimè digeſta; quæ luculento examine ſæpius trutinare licuit, ſed pauca invenire potui, meæ intentioni conſona; quapropter mea in Praxi conſuetus ſum, ut paucis utar, nec niſi longo uſu, ratione, & experientia probatis.)

De hac mixt. ſingulis bihoriis aſſumpſit patiens ad ℥ij Sed quia tum temporis alvus pluſquam more ſolito reſpondebat, loco Syr. cichor. cum Rheo, addidi Syr. Alkermes. Undè optime ſeſe habuit, per longum temporis intervallum. Nam benè prandebat, & utebatur vino Gallico, generoſo antiquo, ut & rubro.

Interim quotidiè ambulabat, & utebatur cibis Euchymis & Eupeptis, undè humorum indigeſtiones, ac vaſorum debiles relaxationes plurimum corroboratæ, ac labefactata ventriculi concoctio majorem accepit vigorem, ut excrementa bene cocta ſingulis diebus ſemel exoneraret, ac ſpincter ani, qui admodum relaxatus fuerat, priſtinum re-

cepit motum, ſic ut excrementa bene co-ᶜta, debito tempore, atque ordine potuerit amandare, & clyſteres applicatos demum retinere.

Tam diu autem, quam in ruribus erat, illa optimè ſuccedebant, & fruebatur bona valetudine; ſed in hyeme, cum iterum Amſtelædami eſſet, & ab exercitiis conſuetis demum eſſet deſtitutus, in ægritudinem potius conjectus, quam in dolores Podagricos, quæ ſumma cum ventriculi cruditate, ac totius corporis gravitate, & intumeſcentia quaſi ventoſa ægrum vexabat, cum alvo conſtipata, appetitu proſtrato, ac totius corporis rigore, ſed quandoquidem cum diarhæa.

At notandum, quam diu alvus laxa aderat, de nullis doloribus Podagricis conqueſtus eſt, ſed ægritudine totius corporis. Sicque Nobiliſſimus ille Dominus vitam traxit miſerrimam, per totum hyemem, quandoquidem cum doloribus tum in manibus, tum pedibus, ſed ſæpius ſine dolore, ita, ut ille podagræ acceſſus nil aliud erat, niſi podagra continua ſumma cum ægritudine conjuncta.

In vere autem, cum demum in rura veniret, omnia præcedentia ſymptomata adhuc perſeverabant, ſed mitiora; quapropter perſuaſi Nobiliſſimum hunc Domi-

mi-

minum, ut ſeſe in lecto contineret, ad materiam peccantem melius eliminandam, quæ propter humorum langueſcentiam, ac ſpirituum inopiam, per propria emunctoria non poterat amandari.

Quapropter præſcripſi pulv. reſorbentes, ex quinque lapidibus pretioſis, cum lapide Bezoar. Orient. ad cauſticum podagræ, quod in ventriculo ac inteſtinorum circumferentia deliteſcebat, enervandum, quia nervoſum genus quàm maxime moleſtabat.

Hos pulv bis de die aſſumebat, cum brodio, ex vino Rhenano antiquo, cum cereviſia Neomagenſi, indè dolores in pede dextro quàm maxime exacerbati ſunt, & ſudores leves proliciebantur. Undè dolor gradatim intendebatur, ac tenſionem violentam exhibebat, in pede dextro; ſic ut nec linteaminum ſuperincumbentium pondus, nec minimam concuſſionem ferre valeret.

In tali autem ſudore detinebatur æger, ac uſum præced. pulv. reſorb. bis de die continuavit, ſic tertio die partem affectam tumore rubro occupatam vidimus, cum ſummo levamine doloris.

Interim pes alter eodem modo afficiebatur, at dolor, ac debilitas, quæ primum infirmaverat, mox evanuit, ac ſi

nunquam ullo dolore fuisset afflictus; interim tales tragædias exercebat, ut prius in pede altero, tam quoad doloris vehementiam, quam durationem.

Urina in morbi principio coloratior erat, cum sedimento rubro, arenulis referto, appetitu prostrato, ac alvo constipata, cum rigore, ac gravitate totius corporis.

Sic dolor lente prorepebat, in manus, genua, cubitos, carpos, aliasque corporis partes, ac digitos, eosque summo cruciatu afficiebat cum inflammatione, ac rubore.

Hinc Nobilissimum Dominum, in tali statu constitutum, per octiduum detinui in lenibus sudoribus, donec materia peccante sensim despumata, corpus naturali officio fungeretur; sed admodum debilis erat, ut vix stare, atque progredi potuerit, cum venarum hæmorrhoidalium dolore, ac corpus præ spirituum inopia, maximè languebat, & urina jumentorum instar excernebatur, uti in diabete.

Quapropter præcedentem mixt. ex Antisc. & Tinct. Min. Mart. Nativ. huic prænobili Domino præscripsi, cum Syr. Alkermes; & remisi usum pulv. præcedentium.

Sed quia ex morbida glandularum, & vasorum lymphaticorum, plus solito

re-

reſeratorum conſtitutione, cibi manducati adhuc putreſcentem guſtum referebant, cum ructu nidoroſo, etſi in minima quantitate aſſumebat, de præcedenti mixt. bis de die aſſumpſit ad ℥iij, inde mirum in modum, breviſſimo temporis ſpatio, corroboratus patiens, ac priſtinæ ſanitati (uti videbatur) reſtitutus eſt. Nam ſex res nonnaturales optimo ſuo fungebantur munere.

Interim quotidie ambulabat, aut equitabat, vel rheda ſua quotidiana exercitia peragebat; & ab uſu medicamentorum omnium abſtinuit; attamen indies in pinguedine, ac corporis vigore accreſcebat, & diu ab inſultibus Podagricis immunis vixit.

Sed cum hoc in caſu in parentheſi dixerim, quod nullus mirari deberet, quod in curatione podagræ, non alia medicamenta præſcribam, niſi antiſcorbutica, cum *Therapeia* ſit orbis extenſus, & unumquodque Regnum ſua propria contineat medicamina, in tam exactam ſeriem digeſta, ut uno intuitu poſſint deſiderata haberi, quæ ad curandam podagram, aliosque morbos chronicos ſint accomodata; ſciendum eſt, quod in Praxi mea conſuetus ſim, ut paucis utar, at lon-

go uſu, ratione, & experientia probatis, hiſce plenariè *contentus.*

De Podagra, pulmonum lobos obſidente.

Vocatus ad virum prænobilem D. G. V. L. quam ſummum Podagricum reperi; cui vox faucibus hærere quaſi videbatur, cum reſpiratione difficillima, feneſtris apertis aërem haurire coactus, cum materia peccans podagrica ex ártubus, quos obſeſſerat, ad pulmones migraverit, cum tuſſi admodum moleſta.

Quod mirandum nequaquam erat, nam patiens per plurimos annos, quaſi Podagra comſumptus, in cuſpide tali pedis dextri natura ſibi viam paraverat, fonticuli inſtar, ex quo in maxima quantitate continuò pus benè coctum, ſed fœtidiſſimum diverſi coloris promanabat; ſed circà plenilunium claudebatur fonticulus, ſumma cum inflammatione tali, ac totius pedis dextri, cum pulſu celeri, inæquali, quandoquidem duro, & admodum vario; ſed quam diu fonticulus erat clauſus, reſpiratio difficilis perſeverabat, cum febri continua, ac tuſſi permoleſta.

Et quia ſumma neceſſitas admodum urgebat, venam ſecare juſſi, tunc præſcri-

ſcripſi pulv. ex reſorbentibus diaph. cum pulv. diatrag. frig. & ſperm. Ceti; unde ſingulis bihoriis unum aſſumpſit cum brodio. Sicque lectum continere juſſi, quod vix præ reſpiratione difficili facere poterat; ſed poſt tres dies fonticulus in talo ſponte apertus, & pus demum effluebat, ut antea; niſi quod in pede inflammato, nil aliud applicari curavi, quam fl ſamb. cum farina triticea in ſacculis, parum calefactis; ſicque brevi temporis ſpatio, ab illo Paroxiſmo fuit liberatus.

Quapropter injunxi Chirurgo, ut fonticulum apertum ſervaret, quod neque ſpongia cera cocta & expreſſa, neque aliis remediis fieri poterat, quin demum clauderetur; ac digeſtiva, & Empl. Antiphlog. ferre non poterat, propter inflammationem; ergò præſcripſi digeſt. ex ſolo melle roſarum, & minima quant. ungt. Ægyptiaci, ac Empl. imponi curavi, ex defenſivo *Cœruleo*, Ungt. Nutrito, Sapone veneta, cum cera flava, quod Empl. ferre poterat, abſque pedis inflammatione.

Sed quam primum paroxiſmus Podagricus demum appropinquabat, mox claudebatur fonticulus, ac peccans materia mox iterum ad pulmones migrabat, circà tempus plenilunii, ubi eaſdem tragædias

dias exercebat, ut antea, cum ſymptomatibus horrendis & inexſpectatis; tunc iterum præſcripſi pulv. præced. diaph abſque venæſectione; ſic ſudores lenes eliciebantur, & iterum præcedenti modo tertio die fonticulus apertus fuit, brevi temporis ſpatio ab illo Praoxiſmo demum liberatus; ac longo temporis ſpatio benè ſeſe habebat, quam diu fonticulus apertus fuerat.

Sed tandem materia peccans per totum corpus migrabat, & nullum fixum amplius locum occupabat, tunc ægritudine confectus eſt, cum torpore totius corporis, ita tamen,ut bene edere, ac bibere, ambulare, aliaque munia paragere poſſet; ſicque per plurimos annos adhuc vixit ſuperſtes, donec tandem poſt meum deceſſum obiit. Si quis autem quærat remedia externa ad leniendos dolores, accommoda nulla mihi hactenus cognita ſunt, licet plurima in aliis expertus fuerim, præter ſola Emoll. refrig. aut repell. ſed longa obſervatione ſuffultus ſcio, maximam partem eorum, qui podagra periiſſe putantur, non tam ipſo morbo, ſed moleſta, atque indebita medicatione fuiſſe peremtos, à topicorum applicatione.

VIRO CLARISSIMO, DOMINO HENRICO VAN BRONKHORST, MEDICINÆ DOCTORI ERUDITISSIMO,

THEOD. A ZELST. M. D.

S. P.

AD ultimas, quas nuper juſſu Nobiliſſimi Ampliſſimique Domini . . . . Belgico Idiomate conſcriptas, ad te exaraveram, reſponſum adhuc debes; ſed jam altioris indaginis occurrit caſus, qui concernit, prænobilem ampliſſimumque Dominum . . . . . hujus civitatis civium cohortis Præfectum &c. ad quem die. . . . . vocatus, ac graviſſimis doloribus reperi correptum, præprimis circa præcordia, atque totius infimi ventris partes; pulſus erat admodum debilis, quandoquidem inæqualis, cum lævi intermiſſione. Urina valdè bilioſa, ac pellucida, cum ſpuma conſtanti ſupernatante, abſque ſedimento aut nubecula; alvum reperi valdè adſtrictam, cum cephalagia continua, & linguam muco quaſi flavo obſeſſam, ſed humidam, cum appetitu diminuto, ſiti præter naturali, & ſumma virium proſtratione. Cau-

Causam hujus mali, quantum ex ægro percipere potui, contraxisse suspicor, quia patiens sese vehementissimo jam sæviente solis calore, per totam ferè diem aëri libero exposuerit, vehementissimis exercitiis, ac circa vesperam, nudis ad abdomen usque pedibus, refrigerandi gratia balneaverit. Hinc spiracula, à summo calore plus solito aperta, & à frigore mox reclusa, sanguinis circulum tardiorem reddiderunt, & calorem præternaturalem, à corporis peripheria, ad centrum deduxerunt; undè mesenterium à sanguinis impetu obstructum est, & ab impedita secretione corpus debilitatum; quapropter mixt. aperitivam diaphoreticam præscripsi, cum decocto ex aperientibus diureticis, aliisque; altera verò die, ut alvus leniter subduceretur, pill. lax. cum Ext. Rhei; inde bis alvum deposuit.

Et cum Amstælodamensi Reipublicæ hujus ægroti magni intersit; vestrum implorare consilium, atque auxilium, consultum duxi; an forsan aliquid emolumenti hac in re tam ardua conferre potueris, quod gratissimum erit. Interim me vestræ clientelæ submitto, ac vestrum consilium, atque auxilium, & responsum, animitus rogo. Dabam Beverow. . . . .

Ter-

Tertio autem die, poſt hujus mali acceſſum prædictus Nobiliſſ. D. Amſtælodamum profectus, quia libentius cum amicis vivere vellet, ac ibi omnia in promptu haberi poſſunt, tam Medici, quam Pharmacopœi, & alia, quæ ægri deſiderio ſatisfacere poſſunt, quod in rure non ita fieri poteſt, nam minima quæ deſiderantur, ex urbe apportanda curari debent.

Quapropter Ampliſſ. ille Dominus, ſeſe curæ commiſit D. D. Bronkhorſtii, qui per octo menſes cum ipſo luctatus eſt, ad annum ſequentem, quod ex literis ſequentibus patebit; quandò prædictus D in rus reverſus, emaciatus, atque defatigatus ſummopere, à me petiit, interrogavitque, numne mihi adhuc copia mearum præcedentium literarum, quas anno præcedenti, ad D. D. Bronkhorſtium miſeram, ad manus eſſet? ut primum, prima hujus morbi facies palam fieret, quod annui; quapropter copiam præcedentium literarum nobili huic Domino porrexi, quas ad D. D. Bronkhorſtium miſit, ac denuo reſponſum petiit: Ille autem ſequentes literas reſponſorias ad me miſit, de verbo ad verbum convenientes.

VI-

VIRO EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMOQUE THEOD. ZELSTIO, MED. DOCTORI.

H. VAN BRONKHORST.

S. P.

QUID circa morbi Nobiliſſimi, Ampliſſimique Domini, ſymptomatumque ipſum à principio concomitantium indolem, tibi obſervare licuit, pergratæ, quas ad nos dediſti literæ, ſatis ſuperque indicarunt; temperamenti cum biliosi patiens, corporiſque quidem gracilis, ſed tum temporis agiliſſimi, per protracta, & repetita exercitia vehementiora, nimia paſſim vi, & copia conſumpſit, expulſitque, quicquid roris ſubtiliſſimi aderat ſucci nutritii, quicquid humorum ſpirituoſioris, humidioris, nobilioriſve; undè exſiccata nimis atque calefacta remanſerunt reliqua; quo in ſtatu conſtitutus, vehementiſſima in ſolis æſtuatione, per totam diem aëri ſeſe expoſuit calidiſſimo; imò refrigerii captandi ergo, nudis ad abdomen uſque pedibus, ſeſe aquæ immerſit frigidæ, quo contigit, quod

quod mirandum nequaquam eſt, ut in colicam ventris infimi ferociſſimam inciderit, cum doloribus rheumaticis, nec non contractionibus ſpaſmodicis, uſque in ſpincterem ani, & veſicæ, imò ad extremos pedes exporrectis, pulſu debili exiſtente, celeri & inæquali, urina tenui biliosa, & nonnunquam turbida, & varia, alvo adſtricta &c.

Quo quidem à dolore, per varia tunc temporis adhibita remedia, aliquot dierum ſpatio feliciter liberatus; tribus, vel quod cecidit hebdomadibus ſequentibus, febre correptus fuit tertiana, ſubitò in duplicem mutata, tandemque, ut fieri frequenter ſolet, in febrem converſa mali moris, univerſum genus nervoſum, partiumque membranacearum, & tendinoſarum ſtructuram, motu tremulo & ſpaſmodico contrahentem, cum vigiliis, deliriis, ſymptomatibusque horrendis, irregularibus, & inexſpectatis.

Nihilominus à periculoſiſſimo hoc morbo, Deo favente ter optimo maximo liberatus, ſed emaciatus atque defatigatus ſummopere; in Paralyſin incidit ſpuriam utriuſque brachii, cum tumore duro circa carpum, contractiones manus motuſque non parum impediente.

Adeò ut ex consideratione horum omnium quæratur:

1. *An non Colica hæc nominanda sit scorbutica, ab ordinaria Colica, sive uterina, sive nephritica sedulò distinguenda?*

2. *Et quanam de causa hi colici dolores ordinario sibi comites habeant rheumaticos, ischiaticos spasmodicos vagos, & irregulares?*

3. *Nec non quanam ratione ex eadem Paresis exoriatur, spuria scilicet, & scorbutica, manente sensu, à veterum Paralysi toto cœlo diversa?*

4. *Undè febris mali moris, totum genus nervosum, tanto cum vitæ discrimine concutiens?*

5. *Quonam fundamento obstructio hacce in parte nitatur, fons & scaturigo latentium & pertinacissimorum morborum, cognitu difficillimorum, præcipue ubi nullæ egestiones adsunt chylosæ, illæso ferè ventriculo?*

6. *Undè tumores exorti, Tophi nominandi scorbutici, hîc manus occupantes?*

7. *Quonam fundamento, ex concatenatis, inventisque jam enarratorum symptomatum causis, patere queat, affectionem hanc tam mirabilem, facie licet diversissimam, simplicissima tamen ex scaturigine deducendam esse?*

8. S

8. *Si inventa res fiat in aperto, quod aliàs est intricatissimum, an in corpore tantoperè emaciato, consumptis scilicet succis nobilioribus, una cum solutione nervorum, vel atonia, Balnea in usum vocanda sint, sudores moventia?*

9. *Vel an usus aquarum Spadanensium alicujus possit esse utilitatis?*

10. *Sin minus, quibus appropriatis remediis, & alimentis, curatio tutissimè sit dirigenda, ut & ipsa diæta, qua scil. Nobilissimus Dominus in meliorem quam hactenus valetudinis statum, tantoperè exoptatum, vix credibili consanguineorum, ut & nostro gaudio, Deo auxiliante, queat restitui?*

Cui petitioni, ut data occasione satisfiat, obnixè rogamus. Vale.

Sequitur responsum.

VIRO PRÆNOBILI DOCTO, HENRICO VAN BRONKHORST, MED. DOCT. ET PRACTICO AMSTELÆDAMENSI.

THEOD. VAN ZELST. M. D.

S. P.

DUM à Nobiliſſimo ac Ampliſſimo Domino.... mihi porrigitur veſtrum reſponſum, ad meas tibi dicatas literas præcedentes, pro qua benignitatis ſpecimine tibi ſum devinctus; gratum hoc ſummopere fuit ſpecimen caſus poſitionis extenſi, in quo tibi cum tanta eruditione obſervare licuit, quæ circa hunc caſum, atque obſervandi methodum neceſſe judicaſti.

Cauſam verò hujus temperamenti bilioſi patientis optimè deducis ab exercitiis nimiis, ac vehementioribus, undè nobiliſſima pars ſucci nutritii avolaverit, & nil niſi vappa remanſerit exſiccata, atque calefacta, quo in ſtatu patiens ſeſe tunc temporis habuit, cum ab ipſo morbo tyrannide corriperetur. Quapropter ut voluntati veſtræ ſub ſincera reverentia ſim ſatisfacturus.

Jam

Jam quæritur.

1. *An non Colica hæc nominanda sit scorbutica, ab ordinaria Colica, sive uterina, sive nephritica sedulò distinguenda?*

Resp. Non esse dolorem Colicum, neque uterinum, neque nephriticum, sed propter similitudinem scorbuticum dictum, propter dolores rodentes fibras nerveas, ac membranas à se invicem quasi divellentes, non in intestino Colo, ut alia Colica, sed in membranis Peritonæi, aliisque partibus circumjacentibus, undè omnia illa horrenda symptomata facilè deduci queunt; præprimis rheumatica, cum contractionibus spasmodicis intestinorum, ani, & vesicæ, aliaque quam plurima, quæ neque clysteribus, neque fomentis, aut aliis remediis cedunt, & ad plures menses, imò annos perseverant, undè corpus contabescit; febris alicujus ex intermittentibus typum referens molestat interdum, eaque sæpius continua, ac lenta, donec tandem doloribus remittentibus succedit Paralysis spuria, per similitudinem ita nuncupata, sive contractura ab humore illo, per abdominis membranas, in spinam dorsi, sensim irrepente.

2. *Quanam ratione ex eadem Paresis exoriatur spuria, & scorbutica, manente sensu, à veterum Paralysi toto cœlo diversa?*

Resp Contracturam potius, quam Paralysin spuriam, atque scorbuticam esse autumo, propter rationes sequentes.

1. In omni Paralysi, tam particulari quam spuria, reperitur mollities, atque flacciditas cum motus læsione.

In contractura vero rigiditas, cum sensus laudati permansione, quod nostro in ægro promptissimè observamus.

2. In Paralysi, nulla potest fieri articulorum contractio.

In contractura verò, strictè dicta, nulla extensio, quod quoque in nostro ægro promptissimè observamus, & oculis videri potest, ergo sine lite.

3 Paralysis oritur ab obstructis interstitiis tubulosis nervorum, spiritibus influxum denegantibus.

Contractura verò fibrarum rigiditatem agnoscit, nervis persæpe salvis existentibus, & membrum constanter rigidum sine dolore, in uno situ, & figura tenens, quod nostro in ægro luce clarius elucescit.

In statu autem præternaturali, omnibus ferè contractionibus spasmodicis ad-

scri-

ſcribitur; ſed magno ſatis errore ſpaſmi, convulſionis, & paralyſeos, cum contractura confuſio non rarò oritur, quamvis à cauſis planè diverſis dependeat, & ſinguli affectus ſpecialem etiam curandi methodum expoſcant.

Nam contractura eſt abolitio motus involuntarii, minuſque dolorifica, certa, & conſtans, à præternaturali fibrarum carnoſarum abbreviatione, & rigiditate dependens, quæ omnia prædicta ſymptomata, conſtante veritate, noſtro in ægro apparent.

Ut res proinde clarius eluceſcat, neceſſum eſt ſcire, præcipuum motuum inſtrumentum, componi ex fibris, vaſis lymphaticis, nervis, tendinibus, membrana omnes dictas partes obvolvente. Nam per arterias humor ad nutritionem advehitur, ejuſque reſidua ad nutriendum inepta, vel ſuperflua pars per venas, & vaſa lymphatica, ad fontem ſuum reducitur; nervis autem, cum eorum contentis, omnis motio (ſtante ſanguinis circulo) peragitur.

Fibræ enim corrugatæ, ac dècurtatæ ſibi mutuo viciniores factæ, principale contracturæ ſubjectum conſtituunt: unde neceſſe in ſtatu præternaturali ſequuntur membra fibras conſtanter (at-

tamen vitiosè) contractas; imò colliguntur interdum nodi intra articulos, qui motum articulorum per se impediendo, promtissimi hujus mali sunt fabri, quod hic clarissimè elucescit.

Si verò causam ejus desideras, dico fundamenta sani corporis poni in bona ventriculi digestione, & ex hujus errore, plurimorum præprimis chronicorum semina spargi, & in specie à mala digestione, ac impedita secretione; chylus enim non ritè elaboratus, ac massæ sanguineæ communicatus, labem suam & huic affricat, ac motum retardat.

Hinc sanguis minus spirituosus, sed crassus, densus, tardius per vasa tendens, in reliquis visceribus, nec depuratus, nec exaltatus, nec ab excrementitiis sordibus liberatus, multis impuritatibus terrestribus contaminatur, quæ communi circulationis lege ad peripheriam corporis delatæ, facilè nominatas turbas excitare possunt; dum salia in eo, ob seri defectum, per loca excretoria ritè secerni nequeunt, ac per longum tempus collecta, causa quandoquidem occasionali, ut motu corporis nimio, robore naturæ, ad artus amandata, contracturam promptissime efficere possunt.

Nec excludendus est aër intensè calidus,

dus, & ſiccus, qui in exſuccis humidum interſtitia fibrarum replens difflando, ſanguinem dein magis inſpiſſat, ac filamenta muſculoſa arida reddit, & ad decurtationem ac contracturam conſtantem diſponit.

Sic obſervavit *Etmull. Tom. I. pag.* 501, Contracturam Scorbuticam Epidemicam fuiſſe; Decocto ſc. gemmarum pini priſtinæ ſanitati plurimos reſtitutos fuiſſe.

Item *Wedelius, in annotationibus Amœnit. materiæ medicæ pag. mihi* 214. de Topicorum applicatione in podagra; Sic *Platerus libro I. pag.* 147. diuturnum Colicum dolorem, contracturam manuum, & digitorum, cum tophis calceis, ac gypſeis, per biennium perſeverantem ſequutam fuiſſe obſervavit.

Imò quotidie in praxi obſervamus, de Colica, alioquin convulſiva, ac ſcorbutica, quod plurimos illos invadat, qui mineras Saturninas tractant. Quod malum nihil aliud eſt, niſi dolor abdominis diu durans, cum contumaci alvi adſtrictione conjunctus, tandem in contracturam tranſiens, à fumis Saturninis ore hauſtis, cum ſanguine, & lympha mixtis, fibras muſculorum conſtringentibus ortum ſumens; ſed plurima alia poſ-

ſem adferre exempla, niſi tibi Vir Eruditiſſime tædia ac moleſtias crearent; quapropter hiſce ſuperſedebimus.

3. *quæritur:*

Undè febris mali moris, totum nervoſum genus, tanto cum vitæ diſcrimine concutiens?

Reſp. Æſtate præterita Beverowici, & locis circumjacentibus tales febres Epidemicæ graſſarunt, ſed planè irregulares, aſt primis diebus erant mites, notis characteriſticis valdè obſcuris, attamen plurimas reperi ſemitertianas, ſive Hæmitritæas, uti à Galeno deſcribuntur, nullas autem perfectas.

Aderat nempe dolor capitis graviſſimus, præcordiorum anxietas, ventris inflatio, cum dolore cervicis intolerabili, totum nervoſum genus afficiente, cum motu tremulo, ac ſpaſmodico; uti in pleriſque domeſticis nobiliſſimi hujus ægroti reperiri licuit; ſed omnes, Deo auxiliante, priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt.

4. *quæritur:*

Quonam fundamento nitatur obſtructio, fons & ſcaturigo latentium & pertinaciſſimorum, cognitu difficillimorum morborum; præcipuè ubi nullæ egeſtiones adſunt chyloſæ, illæſo ferè ventriculo, undè Tophi exorti, tumores nominandi ſcorbutici, hîc manus occupantes? Reſp.

Resp. Causa horum omnium est serum, majori vel minori (pro morbi & ægrorum varietate) terræ copia, seu salibus heterogeneis, speciatim tartareis, terreis, ac gypseis conspurcatum, & tubulis suis ineptum redditum, quod ad ambitum corporis, scil. hoc, vel illud membrum delatum, parietibus vasorum sese affigit, partibus musculorum fibrosis se subindè insinuat, eas stringendo, & quasi intorquendo, vasorum percurrentium tubulos angustando, circulum humorum transeuntium impedit, ac stagnationem producit, tumorem, fibrarum rigiditatem, intractabilitatem, aliaque symptomata exhibet.

Ubi verò multæ ejusmodi particulæ egestæ, sensim sensimque accumulatæ, à tergo subsequentium, & patentem viam non invenientium impulsu, arctius infarciuntur, major adhuc vicinorum tubulorum coarctatio, & obstructionum multiplicatio fit, undè aufugientibus subtilioribus, reliquæ crassæ tractu temporis magis magisque coagmentatæ, & lentæ digestionis ope (accedente imprimis frigore, vel calore majore) induratæ, in tophaceam, gypso non multum dissimilem, & ut vocant tartaream abeunt materiam, articulis motum penitus adimentem. Imò

ma-

malum cò usque non raro procedit, ut membra calceis undiquaque nodis obducta, rigida, & incurvata, monstrum quasi petrefactum exhibeant. Quorum tophorum intra articulos collectorum examen Chymicum, si quis curiosus desiderat; is *Kerckringii Spicilegium Anatomicum* adire poterit.

5. quæritur:

Si inventa res fiat in aperto, quod aliàs est intricatissimum, an in corpore tantoperè emaciato, consumptis sc. succis nobilioribus, una cum solutione nervorum, vel atonia,

1. *Balnea in usum vocanda sint calida, sudores moventia?*

2. *Vel, an usus aquarum Spadanensium alicujus esse possit utilitatis?*

3. *Sin minus, quibusnam appropriatis remediis & alimentis, curatio tutissimè sit dirigenda, ut & ipsa diæta?*

1. Quod attinet ad primum, plus certè damni quàm emolumenti adferre possunt Balnea calida, item omnia Antiparalytica medicamina, tam interna, quàm externa adhibita, cane, & angue pejus vitanda; nam partes contractas magis decurtabis, bilis acrimoniam incitabis, & ægrotanti majorem labem affricabis, contracturam augebis, ac in Atrophiam,

&

& ariduram conjicies ægrum, nunquam ſuperabilem, ac brevi morte indubitata compenſaturam. Quapropter illa ſicco pede tranſibimus.

2. *Secundam quod attinet quæſtionem, an aquarum Spadanenſium uſus alicujus eſſe poſſit utilitatis?*

Reſp. Præmiſſis præmittendis, in calidioris ac ſiccioris conſtitutionis hominum viſceribus (ſpeciatim pulmonibus ſalvis) cum bono regimine ad debitum tempus continuatæ, inacceſſa maſſæ ſanguineæ loca pervadunt, humores ſpiſſos, ac tenuitatis modum non ſervantes dividunt, meatus quoſvis eluunt, Tartareas obſtructiones expediunt, & ceu univerſale evacuans, in aliis per alvum, in aliis per ſudorem, urinam, &c. operationem abſolvunt; nam ſperandum eſt, ut harum aquarum uſu Nobiliſſimus patiens ad priſtinum ſanitatis ſtatum reduci queat.

3. Jam tua reſtat ultima quæſtio, & tot propoſita habuiſti ſolvenda, ut facile in ordine quæſtionum errare potuiſſem: ſed quod concernit medicamentorum uſum, cum regimine diætæ, in omnibus Regnis ampliſſimus patet campus, eodem modo in Chymicis, Pharmaceuticis, ac Chirurgicis.

Cum tamen ut plurimum, ſi non ſemper,

per, primæ viæ farragine viſcida repletæ ſint, quæ exinde fomitem ſanguini communicat, ſe commendant evacuantia lenia, vel fortia; pro materiæ peccantis quantitate, ac ſubjectorum varietate uſurpanda.

Humores enim peccantes, niſi depleantur, fruſtrà alia in uſum vocantur, & primæ viæ ab infarctu vitioſorum humorum liberandæ cum ſint, id optimè faciunt lenientia, quæ balſamum ſeri & ſanguinis eximiè tuentia laudari poſſunt; nec non Clyſteres emollientes & abſtergentes, artis ſcopo componendi; cavendo ne blanda humiditas abſumatur, vel corpus nimis fortibus peſſundetur.

Antiſcorbutica, Balſamica, diuretica, hic multum præſtare poſſunt, nam evacuatio per urinam eſt optima, talia verò ſint lympham dulcificantia ſelectiora, ac coagulationem in tophos impedientia; qualia ſpecifica ſunt, Cochlearia Groenlandica, & gemmæ arboris Pini, ſive Abietis, menſe Aprilis, & in principio menſis Maji collectæ (ſed non majores debent eſſe, quam gemmæ populi, quales ad uſum unguenti populæi adhibentur) ut in arborum extremitatum ſurculis tunc temporis erumpunt; quæ ſumma Antiſcorbutica, Balſamica, & diureti-

tica vi pollent, uti longo uſu, & experientia ſæpius ſum expertus.

Succi Herbarum Antiſcorbuticarum, (quarum Catalogi apud Auctores proſtant ampliſſimi atque innumeri) hic ſummopere convenirent, & quarum campus in omnibus Regnis patet ampliſſimus, exindè tibi ſeligere potes ſpecificas, longo uſu, ratione, & experientia probatas; At melius ſpecificum nunquam mihi reperiri licuit, quam Cochlearia Groenlandica, quæ creſcit in vallibus rupium, in illa parte quidem, ubi aves, qui maxima in quantitate ibidem reperiuntur, fimum deponunt, quapropter ſale volatili balſamico gaudet, hæc penetrativa ſua virtute balſamica obſtructiones reſerat, ſaliaque ſcorbutica obtundit, & per urinas educit.

Interim valdè tædioſum eſt, quod recens haberi nequeat, niſi ſale condita, aut ſpiritu vini irrorata, quæ hoc in caſu magis obſunt quam proſunt.

Sed cum ſcorbutus tam varius ſit morbus, cujus ſymptomata morbum ſequuntur, ergò talia adhibenda, qualia huic aut illi ſcopo ſatisfacere poſſunt; nam campus apud Auctores patet ampliſſimus; *ſed utere paucis, nec niſi ſpecificis ſelectis, ratione & experientia ſæpius probatis.*

Quod

Quod cibum concernit, assumatur facilis digestionis, tenuis, & humectans; non tamen, nimia quantitate unica vice, ne, ventriculo obruto, cruditatibus generandis ansa detur; ut juscula avenacea; carnes animalium juniorum, olera quæcunque facilis digestionis; ut chærefolium, lactuca, portulaca, aliaque; abstineat à crassis viscidis, fumo & sale induratis, ab acribus, & nimium aromatisatis. Pro potu utatur cerevisia tenui, benè defæcata, & bis de die cerevisia Brunswicensi recente, ad ℥iij.

Nec sicco pede prætereunda est agitatio partis contractæ, manuali opera præstanda, non vi majori extendantur, flectantur, & agitentur, sed linteis scabris super carbonibus fumo ex pulvere fumali sequente imbutis, fricentur bis de die; sic membra motus, per vigiliam diu amissos, sæpè iterum accipiunt.

℞. G. *Carannæ.*
Myrrhæ el.
Mastich.
Olibani. aa. p. æq.

Præprimis motus organa, crebriori conatu agitando, calidè, blandè ad munus suum obeundum invitanda sunt. Hac enim ratione musculi, cum tendi-

dinibus, vegetiores redduntur, & patiens pristinæ sanitati restituetur, id, quod faxit Triunus supplex oro.

Hæc sunt Vir Eruditissime, quæ tibi hac in re tam ardua, brevissimo quantum potui stilo, communicare volui. Interim, data occasione, vestrum responsum rogo, petoque, ut res tam ardua clarius elucescat; me quoque vestro patrocinio, atque favori, summopere commendatum volo, pro qua benignitatis specimine tibi semper ero devinctus. Vale.

Interim Amplissimus ille Dominus, reversus ad rus, sese meæ curæ commisit; quem reperi dolore ventris, scorbuti comite, non continuò, sed per intervalla infestantem, cum pulsu, & urina, qualis scorbuto affectis familiaris est.

Dolor interim per universum abdomen sese extendebat, & præprimis circa lumbos, sed gravioribus symptomatibus, quàm quæ colico vulgari supervenire solent; neque soluta alvo, nec exeuntibus flatibus mitescebat; cum doloribus rheumaticis, nec non contractionibus spasmodicis, usque in spincterem ani, & vesicæ, imo ad extremos pedes exporrectis, cum contractura utriusque brachii, & tumore du-

ro circa carpos, contractiones manus, motusque non parum impediente, cum virium ferè omnium prostratione.

Sed quia spiritus animales per totum corpus deficiunt, immodico calore, & exercitio consumpti, unde corpus flaccescit, & concoctiones non amplius rectè promoventur, ac ingens humorum colluvies sanguinem opprimit, & viscera quasi suffocat, qui calorem putrescentem acquirunt, prout ansa hujusmodi humoribus in motum ciendis data fuerit.

Ad curam igitur quod spectat, oportet ut inquiramus, ad quem scopum indicationes curativæ sint dirigendæ; cum prima sit humorum indigestio, à caloris & spirituum naturalium defectu orta; altera humorum calor, & exæstuatio, qui putredinem nacti, à mora in corpore quàm oportuerat diuturniore, quæ mora ab inconcoctione supra memorata dependet.

Sed cum hæ causæ à se invicem toto cœlo discrepent; ut, quæ huic prosunt remedia, alteri obsint, undè hic affectus curatu perdifficilis est.

Sed cum plurimi Practici hunc morbum oppugnare voluerint laxantibus, at-

atque purgantibus, clysteribus, venæ sectionibus, fomentis, anodinis, aliisque, & morbi sedes non sit in intestino Colo, ut alia Colica, sed in membranis, tam Peritonæi, quam partibus circumjacentibus, undè in illis semper, aut plerumque est alvus constipata, & sphincter ani & vesicæ ita obturatur, ut æger vix alvum deponere, sive urinas evacuare possit, propter humorum acrimoniam, qui has partes membranaceas continuò perreptant, ac in crispaturam cogunt, eodem modò, ac corium madidum ad ignem depositum fieri solet, sicque nec ani sphincter, neque vesicæ suas functiones peragere possint.

Si autem prædictis medicamentis, hunc morbum aliquis oppugnare vellet, talibus remediis non cedit, & fortioribus irritatur, quia pugnat cum indicatione curativa, quapropter Nobili huic Domino præscripsi mixt. seq.

℞. *Aq. Antiscorb. Amst.* ℥x.
Gemmar. pini per ferment. ppt. ℥iij.
Tinct. Min. Mart. Nativæ singulari modo ppt. ℥ijß.
Sal. Epson. ʒij.
Syr. Cich. c. Rheo ʒvj. *M.*

De hac mixt. ſingulis bihoriis aſſumpſit ad ℥ij. Undè altero die bis alvum depoſuit, cum excrementis atris, ingenti humorum colluvie repletis, cum ceſſatione omnium dolorum, ita ut Ampl. ille Dominus fateri debuerit, ſe neſcire, in quo mundo jam viveret.

Interim uſum hujus mixt ſingulis bihoriis continuavit per octiduum, undè tanta bilis, ac ſaburræ copia ſeſe evacuavit, ſanguis & viſcera, quæ quaſi ſuffocata videbantur, novum acceperunt vigorem, ſic labefactata ventriculi concoctio brevi temporis ſpatio evanuit, ita ut cibos, etſi concoctu difficillimos, cum ſummo appetitu aſſumeret, etſi diætam ex juſculis avenaceis, ac carnibus juniorum animalium, aliiſque facilis digeſtionis conſervaret.

Pro potu autem utebatur cereviſia tenui bene defæcata, & bis de die cereviſia Brunſwicenſi recente ad ℥iij. undè corpus mirum in modum invigoratum fuit, ut ſolus iterum edere, ac bibere potuerit.

Sed quia brachia, & manus contractæ, cum tophis calceis Scorbuticis, ad extremos digitos exporrectis, manuali opera agitari, extendi, & flecti debuiſſent; linteis ſcabris ſuper carbonibus, fumo

ex

ex pulvere fumali ſequente imbutis, bis de die partes, & Tophi concreti fricabantur, & membra motum per vigiliam diu amiſſum iterum receperunt.

℞. *G. Carannæ, Myrrhæ el. Maſtich., Oliban., aa.* ʒiij.
Fl. roſ. rubr. Lavend. aa. Mß.
M. F. Pulv. fumalis groſſus.

Sic muſculi, cum tendinibus, vegetiores redditi ſunt.

Interim corpus Ampl. hujus Domini, continuis exercitiis vexatum, tam ambulando, quam equitando, ſic motum per vigiliam diu amiſſum recepit, & quatuor ſeptimanarum ſpatio priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

Interim uſum præcedentis mixt. bis de die continuavit, ad ℥iij. per ſex ſeptimanas.

DE COLICA PICTONUM, SCORBUTICÆ SIMILI.

In Gallia, in Provincia Pictonica, novus dolor Colicus exortus eſt, A°. 1572. ab acerbiſſimis à bile cruciatibus, & quia pau-

ciſſimi Auctores, de illo dolore colico mentionem fecerunt, niſi mutato nomine, mihi aliquid de illo dixiſſe ſufficiat, ut ſolummodò differentiam, inter Colicam Scorbuticam & Pictonicam, ob oculos ponamus, ad vitandos errores, qui ſæpius in Praxi occurrunt; ubi ſæpiſſime quid pro quo, & unus pro alio tractatur morbo, cum in ſignis diagnoſticis, eorumque cauſis, in pluribus conveniant; quamquam maxima, inter hos morbos, quoad faciem, ſit differentia.

Nam Colica Pictonum eſt morbus Epidemicus, quandoquidem Endemius, Provinciæ Pictonicæ familiaris, eodem modo, ac *Scorbutus*, *Rachitis*, *Plica Polonica*, aut *tumidum Guttur* in Alpibus, unicuique Regioni familiaris eſt ubi graſſatur, at non ſolis Pictonibus annumerari potuit, ſed etiam toti fermè Aquitaniæ popularis eſt, nec non in Provinciam Picardiam ſua ſemina diffudit.

Et, præter alias Regiones, in quibus Medici ſiluerunt, Moravia, Sileſia, & maxima inferioris Germaniæ pars, jam pridem hoc morbo laniatæ, & ejus crudelem morſum expertæ ſunt, uti ex *Langii Epiſt. Lib.* 2. *Epiſt.* 38. perſpicuum eſt.

Sed

Sed clarius ex *Consiliis*, *&* *Epist.* à *Cratone*, *de Paralysi* *&* *Colica*, *Consil.* 10. *&* 11. *Epist.*3. *&* 4 *A.* 1582. scriptis; sed quicquid sit, Epidemicum esse, & quandoquidem Endemium istis provinciis familiarem, ac proindè aliquam causam habere communem, satis superque constat.

Nam eorum quos attingit corpora, veluti sidere percussa, ex pristino statu dejicit, pallor vultum decolorat, extrema frigent, languent vires, animus inquietus, corpus anxium, vigiliæ assiduæ, lipothymiæ, sive cardialgiæ frequentes, appetitus prostratus, nausea perpetua, ructus, vomitus porraceæ & æruginosæ bilis, singultus creberrimus, miserum ægrum fatigant, sitis inexhausta, stranguria molesta, quæ sæpius calculum mentitur; cum acutissimo dolore ventriculi, intestinorum, lumborum, iliorum, & inguinum dilaniatur æger, per initia præsertim, cum alvi frequenti fluore.

Mox propagatur venenum; tunc humeri, mammæ, totumque pectus, veluti aculeis vellicantur, lancinantur, modò verò crura, & os sacrum; & post tot miserias (mirum dictu), ægro jam melius secum agi credente, nam ventris dolores remittunt, cubiti manuum, tibiarum, &

pedum motus perit, integro tamen sensu, & veluti pungentis acus per totam cutem.

Hanc Paralysin in plerisque præcedunt Epilepticæ aliquot convulsiones, quæ olim multos, nunc rariores, è medio tollunt; eas ingruentes præmonstrat plurium horarum cœcitas, mente adhuc constante, quæ per septem & plures dies perseverat, nulla alia sensuum functione præterquam visione intercepta; tunc enim dolores, aut leves, aut nulli sunt, qui sensim mitigantur.

Interim dolor exacerbatur, & Epilepsia, magno cum ægri discrimine recurrit, & partium omnium, infra caput, paralysi affectarum vires paulatim recuperant post aliquot menses, fiuntque pallidæ, squalidæ, macilentæ, manibus incurvis, & suo pondere pendulis, voce clangosa ac sibilosa.

Nec omnibus tamen manet eadem sors, sed instar Prothei forma varia est mutabilis; nam à purgantibus ingravescit, sed liberale alvi, menstruorum, ac hæmorrhoidum profluvium, sæpè morbum solvit; quanquam tanta est hujus morbi pertinacia, ut sæpius contra hæc symptomata insurgat. Sed observatum est aliquando, pustulam in extremo Talo pedis subortam, quæ humoris purulenti quidpiam effudisset, hunc affectum perfecte judicasse,

ſe, qui aliàs non niſi reſolutos, convulſos, & exſangues, ac ſæpius exanimes dimittere ſolet.

Nam Colicus hic dolor, hujus Regionis incolis, toto genere repugnat, quam Epidemiam ſive popularem dicimus, quoniam paſſim in vulgus graſſatur, & multis communis eſt, & communem habet cauſam.

Alii Epidemii, alii Endemii, nam Epidemii alii ſunt mitiores, pro hujus, aut illius anni conſtitutione, qui certo tempore, in Regione aliqua ſæviunt, quos habet *Hippocrates de Epidemiis*.

Sic Endemii, Patrii ſunt, & alicui regioni familiares; quibus certè Colicum dolorem Pictonibus adeò familiarem annumerarem, at non ſolis Pictonibus, ſed toti fermè Aquitaniæ jam popularis, nec non in proximam provinciam Picardiam, irrepſit; ut colligere eſt ex Conſilio *P. Droëti de Peſtilentia*, typis excuſo Anno 1572. qui inquit, Colicus dolor hoc anno re vera fuit Epidemicus & exitioſus. Omnes enim facti ſunt Paralytici, vel Epileptici: & ex his non pauci interierunt, vel in ipſa acceſſione, vel paulò poſt, idque præſertim Abbevillæ, & neſcio quo virginum Cænobio, cui nomen Caſæ Dei impoſitum erat.

Sed quicquid ſit, Epidemicum eſſe, & proinde communem aliquam cauſam habere, ſatis ſuperque conſtat.

Id verò, quod inſpiramus, Aër eſt, qui qualis eſt, tales ſunt ſpiritus, teſte *Galeno*, *de Criſi Cap.* 3. & ut malum noſtrum colicum, plerique ab *Hippoc.* ante mille ducentos annos obſervatum putant, ex ea quam notat ab articulis in inteſtina materiæ morbificæ tranſlatione, & contra 6. *Epid. ſect.* 4.

Unus autem *Paulus Ægineta* ante mille ducentos annos expreſſam vidit, & deſcripſit Pictonici noſtri colici doloris idæam, cujus prototypum, *Colicum dolorem bilioſum*, ſua ætate in Italiam primum, per multas Reip. Rom. Provincias, peſtilenti quodam influxu, graſſatum fuiſſe teſtatur, pleriſque in Epilepſiam, aliis in Paralyſin, ſenſu incolumi, delapſis, at eorum qui Epileptici facti ſunt, plures interiiſſe.

Ex iis verò, quibus in Paralyſin factus eſt tranſitus, pleroſque omnes, veluti criſi quadam, cauſa in nervos tranſlata, ſervatos, & quibus motus poſt certum temporis ſpatium ſponte rediit. Lib. 3. Cap. 43. ſed paulo ante monuerat Lib 3. Cap. 18. ſuperſtites ſcilicet in hoc affectu, artuum privationem motus conſequi, tactus ſenſu incolumi.

Poſt

Poſt *Æginetam*, hic morbus exſtinctus, nec viſus eſt poſtea, neque notatus, per ſexcentos, vel ſeptingentos annos, donec *Avicenna*, Medicorum Arabum princeps, *Tractatu* 3. *Cap*.6. Colicam ſcripſit fieri, interdum Peſtilentem, & Epidemiam; quando inquit:

Colica, & Ilias perveniunt de Regione ad Regionem, & de homine, ad hominem, uti retulit quidam Medicus de Antiquis, (per hunc P. Æginetam intelligit) & dixit, quod perveniebant quidam eorum ad Epilepſiam, quæ erat mortalis; & quidam ad artuum reſolutionem, cum incolumitate ſenſus evadebant, ſecundum ſemitam permutationis ſimilis criſi; & Lib. eodem 3. tr. 2. Cap. 2. Paralyſis inquit, eſt criſis Colicæ, & multoties remanet cum ea ſenſus, & qui evadit, evadit cum paralyſi, & natura quaſi illam materiam expellit, & reducit eam ad exteriora &c.

Tunc iterum deſiit hoc malum, per quingentos fermè annos, & revixit demum anno 1572, uti ex *Droëti conſiliis, de peſtilentia*, typis eodem anno excuſo colligere licet, & quia nullus ſcriptorum, in illo temporis ſpatio, de hac Colica ullam mentionem fecerat, donec tandem converſa ad Pictones, cum iiſdem, & multis aliis gravioribus ſymptomatibus, qua-

quarum causam rejicit in vina Pictonica recentia, quæ ab aliquot annis austera, & acerba colligi solebant, & in illo tempore, quo vitis gemmas emittit, medio sc. Vere, matutini algores tanti sunt, ut plerumque glaciem, & pruinam in maximam turionum, cauliculorum ac florum, tum vinearum, tum cæterarum arborum perniciem, efficiant.

In autumno autem, uvis ad maturitatem properantibus, tantum plerumque frigus supervenit, ut eas recrudescentes potius, quam maturas colligere cogamur, undè vina acerba exprimuntur, in nondum assuetorum ventriculorum detrimentum. Quod experiuntur sæpius, omnium ordinum fratres mendicantes, qui quoniam plerique peregrini, à vinis Pictoniensibus magis læduntur, & gravius, quam ipsi Pictones; quod vina in suorum Cænobiorum ditione collecta, aut hinc indè conquisita, varia, non meliora potare cogantur.

Et ubi in gulæ gratiam mille condituras, non ad tollendam, sed ad irritandem famem, non ad explendam, sed ad excitandam sitim, vinorum genera quærimus, sic corporis Eucrasia alteratur, functiones læduntur, atque ventriculi concoctio impeditur, undè cruditates hujus mor-

morbi fons, & ſcaturigo, quæ calorem ſuum in porraceam bilem convertunt, modò in venis, modò in ventriculo, & inteſtinorum circumferentia, quæ variat admodum, pro labefactata humorum coctione, & corporum varietate.

Nam humores, vel quantitate, aut qualitate peccantes, ſunt etiam bilis, ſuccus lymphatico-pancreaticus, ſaliva, lympha, aliique humores, pro unaquaque corporis diſpoſitione.

Illa enim omnia ſunt requiſita, quæ machinam corporis humani, vel ad plenariam ſanitatem conſervare, aut ad ejus interitum perducere poſſunt, prout humores peccantes ſunt conſtituti, nam qualis chylus, talis ſanguis.

Quis autem humor, præter bilem, rodere poteſt? quis vellicare? quis æſtum excitare? quod nulli, præterquam bilioſo humori tribui poteſt; roſionem, punctionem, lancinationem membrorum, & viſcerum fervorem pituitæ aſſignaſſe minus convenit.

Non diffiteor tamen, tam vehementes dolores, ab humore pituitoſo, & vitreo contrahi poſſe, licet *Paulus Ægineta*, qui ex profeſſo de hoc dolore Pictonico agit: *Humorem erodentem bilioſum acrem, graviſſimi hujus affectus cauſam ſtatuere non dubitaverit.*

At-

Atque hi, leviſſima de cauſa, in hunc affectum, ac in Paralyſin, convulſionem, aut coecitatem incidunt, præſertim ſi bilis flava in atram degeneraverit, vel in cerebrum, aut ejus ventriculos rapiatur, & Epilepſiam faciat, aut nervorum opticorum originem obſtruat, & coecitatem pariat: aut ſi in ſpinalem medullam amandetur, fit paralyſis.

Si vero in inteſtinis fiat obſtructio, ac materiam bilioſam, per ſuas vias depellere nequeat, expellit natura eo, quo magis poteſt, quodam impetu ad membra exteriora, muſculos, nervos, ac tendines, bilioſam materiam ferendo: At ſi cum ſanguine mixta, in venis contentam eſſe, & putreſcere oportet, undè ardens potius, aut continua, quam intermittens accenderetur febris. Sed quam male ſuæ ſanitati conſulant, qui acidis & auſteris hujuſmodi vinis delectantur, ex eo judicare licet, quod *Franc. Citeſius*, vir undiquaque quidem doctus, & gravis, dum in cauſas diri illius morbi Epidemici inquireret ſedulò, quem *Colicum dolorem Pictonicum* nominavit, ipſum vix aliunde, quam ab acerbitate vinorum Pictonicorum deduxerit.

Sed addere debeo, quod à ſupra citato *Citeſio* de monachis quibuſdam Pictavienſi-

ſibus, quos crudeliſſima ventris tormina (*ſcorbutica indubie*) diu exercuerant, obſervatum, quæ neque clyſteribus, neque fomentis, aut aliis remediis cedunt.

Mirandum ſane, & miſerandum magis inquit, quod patribus Fulienſibus contigit, cum in Novallium Cœnobium, Coloniam deduxiſſent, intra menſem omnes, (erant enim tredecim numero) quæruli gemibundi, proni in ventrem cumque crudeliſſimis doloribus vexati, cum alvo adſtricta, ſuas vices dolore, cœlum Pictonicum accuſavere: Noſocomium potius, quam Monaſterium dixiſſes, nec alia cauſa ſuccurrebat, quam, quod præter cœlum, vino albo, eoque acerbiſſimo (alias generoſis Tholoſanis aſſueti) pro potu uterentur, quod probavit eventus; mutato enim cœlo, & potus genere, omnes priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt.

En! hic ad vivum uſque expreſſam, *Colicæ ſcorbuticæ* effigiem, licet ſub uſurpato *Colicæ Pictonum* nomine depictam, qua optimo viro in Scorbuticorum curatione minus verſato, impoſuerat.

En! ejuſdem primordia, præſertim à vino auſtero deducta, inculpatis intereà viſceribus, en! denique acerbiſſimis ſtipatum ſymptomatibus morbum, cœlo tantum, potuque mutatis, brevi evaneſcentem.

Quum

Quum itaque, & quæ pariunt hunc morbum scorbuticum, & quæ eundem certissime tollunt; huic quam in præcedentibus attulimus sententiæ, tam claris argumentis suffragantur; quid superest? nisi, ut nobis in eadem acquiescere liceat, donec manifestè de ipsius falsitate constiterit.

Nam ut omnia levi credulitate amplectenda non sunt, ita, neque ea protinus repudianda, quæ in rebus obscuris, cum rationi, tum experientiæ consentanea videntur, etiamsi statim cornicum oculos non configant; sub occulta naturæ, & artis facie, quid ni conjicere liceat, quod probari nequit?

Nam in luce rerum tenui nos homunculi caligamus, in mediocri cæcutimus, in majori talpæ sumus, in maxima insanimus, in omni quo magis quærimus, eo magis dubitamus.

Quid non pariunt alimenta acria, salsa, & piperata, quæ cum calore nativo vinci nequeant? Nonne corrumpuntur, & calorem suum retinentia, in porraceam bilem convertuntur?

Nec minus noxia sunt, austera, & acerba; quales sunt omnes fructus immaturi, quos ventriculus, cum coquere nequeat, in flatus varii generis, & humores vi-

vitiosos commutat. Hujus generis sunt vina Pictonica præsertim recentia, quæ austera, & acerba ferè omnia colligi solent.

Hunc etiam affectum, aliæ causæ non naturales, & externæ producere possunt, vigiliæ immodicæ, labor vehemens, alvi adstrictio, sed multò magis graviora animi pathemata, ut metus, & moestitia, undè cruditates multæ succrescunt, & bilis, quæ multa collecta erat, crassior efficitur, ideoque difficilius excernitur, & potentius per longam moram excruciat.

Dum enim *Franc. Citesius*, vir doctus, & gravis in causas diri illius morbi Epidemici, quem *Colicum dolorem Pictonicum* nominavit, sedulò inquireret, ipse vix aliundè, quam à cibis concoctu difficilibus, & crudis, ac vinis austeris Pictonicis, hujus atrocis morbi causam invenire potuit.

De Aëre, quem primam & potissimam omnium popularium morborum causam statuimus, constanter asserimus, & frequenti experientia compertum habemus, certissimum hujus affectus remedium situm esse in cœli, & soli mutatione; id ante nos vidit *Droëtus in libro de peste*, ubi inquit: *Non potuerunt virgines hujus Cœnobii*, (CASAM DEI *supra memoratam intelligit*), *aliter sibi salu-*

tem quærere, quam fuga, & loci mutatione.

Sic supra laudatus CITESIUS: *Idem experti sumus nuper in omnium Ordinum Monachis, & præsertim in Capucinis, & Fuliensibus, quorum totas colonias anno superiore ablegavimus, & statim ubi aëre Pictonico exularunt, hunc penitus dolorem sine ulla veneni labe excusserunt, ac sanitatem sine ullo artis præsidio recuperarunt.*

Sed pergit ulterius: Anno 1592 periit Franciscanus quidam, nomine Bretbet, cujus aperto cadavere, jejuni intestini diploë divisa à se invicem erat, ejusque spatium humore refertum tumorem, ovi Anserini magnitudinem referentem, exhibebat: Is tumor jussu D. D. Milonis piæ memoriæ, me adhuc Philiatro & ejus discipulo præsente, apertus, nihil præter sinceram bilem, eamque æruginosam profudit. Multa hujus generis à cæteris collegis nostris, annis præcedentibus observata sunt.

Nam ut primò de aëre Pictonico dicam, is calidus, & siccus, qualis per æstatem est, sanguinem accendit, & attenuat, ex quo bilis fit, morborum ferè omnium chronicorum comes; cibi calidiores, vigiliæ, labores, excrementorum retentio, & animi perturbationes, ex quorum omnium concursu bilis copiosissima succrescit, modò in venis, mo-

dò

dò in ventriculo, quæ quandoquidem pallida, vel vitellina, porracea, æruginosa aliaque.

Ab his adustis, aut corruptis, cardialgiæ, singultus, & plerique alii contra naturam effectus: ab iisdem in intestina delatis, dysenteriæ crudelissimæ, & Colici dolores vehementissimi; & ubicunque hæret mordax, & acris humor biliosus, intestina pungit, ac vellicat. Nam quis humor præter bilem rodere potest? quis vellicare? quis æstum talem excitare? Non aliter, quam à bile provenire potest; quia neque per vomitum, neque per alvum exoneratur. Quapropter talia, qualia purgari oportet, si purgentur, confert, & facile ferunt, sin minus contra.

Quanquam ut plurimum bilis, in intestinorum alveo conclusa, vel per venas, ex universo corpore confluens ἄνω καὶ κάτω sæpius per vomitum & per secessum feratur: Per vomitum quidem frequentius, sed symptomaticum, curantur tamen citius vomentes, quam nauseantes nec vomentes.

At ubi per secessum, sine catharticorum ope, bilis liberalius fluit, critica est evacuatio, & integra morbi solutio. Sed si ea rapiatur in cerebrum, aut ejus ventri-

culos ferit, vel Epilepsiam facit, vel nervorum opticorum originem obstruit, & cœcitatem parit, aut in spinalem medullam amandatur, & fit Paralysis.

Paulus Ægineta quidem (*cujus divinæ mentis industriæ ac sagacitati, tot ac tanta debet omnis medicorum cohors*) tam exactam hujus morbi Pictonici descriptionem tradidit, simplici sub titulo, *Colici biliosi Epidemici*: Si quis autem oculos suos in prælongam quæ præcessit, atrocissimorum symptomatum seriem attentius reflexerit, & singula seriò, & sine præjudicio pensitaverit, nulla sanè inveniet, quæ non ad Colicam Scorbuticam referantur.

Sed prædictus Auctor *Paulus Ægineta*, illo tempore Scorbuti nomine exprimere non poterat, quia tunc temporis illius nomen planè incognitum erat; & post *Æginetam*, Arabum Princeps *Avicenna*, Colicam scripsit fieri interdum *Pestilentem*, & *Epidemicam*, donec tandem post quinque sæcula conversa est ad Pictones.

At cum *Franc. Citesius* in causam illius diri morbi Epidemici inquireret, illum *Colicum dolorem Pictonicum* nominavit; sed qua ratione, nescio? Cum non solis Pictonibus, sed toti ferme

Pro-

Provinciæ Aquitaniæ familiaris esset, nec non in Provinciam Picardiam, Moraviam, Silesiam, & maximam inferioris Germaniæ partem, jam pridem hic morbus irrepserit.

Hinc non mirum, quod varii Scriptores huic morbo varia imposuerint nomina. Nam morbus non unus est, sed plurimorum morborum potius ILIAS, ex multiplici morborum concursu, & complicatione oriunda; & si faciem ejus interiorem spectes, vel Protheo mutabiliorem esse jurabis.

Ab Antiquis, *nec incognitus*, *neque neglectus*, sed vivis coloribus depictus videtur. Sed dum Medici, ipsius morbi naturam inquirere aggrederentur, hic in has, ille verò in illas, & tertius in alias apparentias, oculos attentius convertit; quemadmodum in Pictoribus, atque Poëtis videre est, qui licet eodem tempore & loco, unum aliquod objectum intuiti fuerint, id ipsum tamen singuli diversimodè referunt, & describunt, prout quisque species differentes in Phanthasia efformaverit.

Quid enim jam Colica Pictonica aliud est, quam Colica Scorbutica, nisi mutato nomine? nonne ab una eademque causa producitur, ac primordia at-

que incrementum ſumit, ab humorum Diſcraſia, ſive à labefactata humorum concoctione; & tam varios inter ſe differentes affectus producit, ut non morbus ſimplex, ſed fere plurimorum morborum chronicorum cumulus, ſeu Ilias, dici mereatur, quibus nos miſelli homines obnoxii ſumus, & horum ſymptomatum ſeries, alia Scorbuticis exiſtunt magis familiaria, alia minus, & alia nihil de morbo ſcorbutico participant, & eodem modo cum pleriſque morbis chronicis conſtitutum eſt, nam ab una eademque cauſa, ſcilicet humorum labefactata concoctione, ortum & progreſſum ſumunt.

Non mirum igitur, quod *Paulus Ægineta*, neque *Avicenna*, huic morbo *Colici Scorbutici* nomen non impoſuerint; cum tamen tam exactam deſcriptionem de illo morbo tradiderint, ſed ſimplici titulo, *Colici bilioſi Epidemici* nomine, contenti; quia Scorbuti nomine exprimere non poterant, quapropter alto ſilentio præterierunt.

Nam duodecim ſæcula poſt Æginetam, à Danis, ac Norwegis Scorbutus primo deſcriptus fuit A°. 1536. & poſtea, à Remberto Dodonæo, Senerto, aliiſque, ad altum veſtigium evectus, etſi ab Hippocrate, ad hæc uſque tempo-

po-

pora, variis nominibus descriptus reperiatur, ab Auctoribus diversis.

Sed cum hic morbus tam atrox, quam crudelis sit, tam horrenda, & inexspectata symptomata producat; & in hunc usque diem (quod scio) neque à veteribus, neque à neotericis, aliter descriptus fuerit: Quid agendum est in casu tam deplorabili, cum supra laudatus Citesius hunc morbum *Colicam Pictonum* nominare ausus fuerit, licet non magis Pictonum Colica quam Batavorum sit; & non solum à P. Ægineta, ante quatuordecim sæcula descriptus, & in Italia familiaris fuerit, sub nomine *Colici biliosi Epidemici*, sed post Æginetam, per septem sæcula de hoc morbo altum fuerit silentium, donec ad Avicennam pervenerit, qui multis gravioribus symptomatibus descripsit. Tunc iterum per quinque sæcula, post Avicennam, inter scriptores altum fuit silentium, usque ad annum 1572. donec in Provincia Pictonica, aliisque locis circumjacentibus in præcedentibus allegatis, denuo hic morbus grassaretur, & à supra laudato Citesio descriptus sit, sub usurpato *Colicæ biliosæ Pictonum* nomine, quod nomen ab illo tempore, in hunc usque diem servavit, sed male.

Quapropter ab unico mutato illo nomine, tot errores, ac tantæ confusiones circa Praxin, in illo temporis spatio, ad hunc usque diem, inter Medicos contigerunt, cum unus *Colicam Scorbuticam*, & alius *Pictonicam* nominaverit. Cum tamen hic morbus nihil aliud sit, quam Colica Scorbutica, & à Scorbuto principium, atque incrementum cœperit.

Sed quia hic morbus tam varius est, eapropter à diversis scriptoribus, diversa nomina ipsi sunt imposita, & res easdem, variis circumstantiis consideraruntur; cum tamen ex propria morbi natura, nomina imponi deberent.

Cum Scorbutus à Belgis *Scheur-buyk* appellatur, à modo memorato *Scheur*, quasi dicas *Scheuren*, sive rumpere, & *Buyk*, Venter, quasi diceres Gastro-cele, seu Ventris ruptura, undè tales dolores atrocissimi oriuntur, & partes infimi ventris, aliæque corporis partes, quasi disrumpere videntur, à doloribus atrocioribus continuis, quibus miserrimi ægri vexantur, hoc Colico dolore scorbutico laborantes; sed quia scorbutus, tam latè sua semina diffundit in plurimos morbos chronicos, mater illorum meritò appellari potest.

Nam morbi Epidemici ubicunque gras-

graſſare poſſunt, & neſcio quiſnam Scriptorum morbum aliquem Epidemicum nominare poſſit, ſecundum Regionem, aut Provinciam, in quo graſſatur, uti ſupra citatus Citeſius, de Colica Pictonum fecit, cum Pictavienſibus hic morbus non magis familiaris ſit, quam aliis provinciis, ut toti fermè Aquitaniæ, Picardiæ, & in aliis regionibus, in quibus Medici ſiluerunt, ut Moravia, Sileſia, & maxima inferioris Germaniæ pars, hic morbus ferè graſſatus ſit, quibus Colicæ Pictonicæ nomen non competit, *ſed morbo deſcripto*; etſi ab illo tempore 1572. in hunc uſque diem hoc nomen ſervaverit, ſed male.

Et ab illo tempore, poſt *Citeſium*, altum iterum videtur eſſe ſilentium de hoc morbo inter Scriptores, niſi quod unus aut alter aliquam mentionem faciat; ſed largam, & extenſam deſcriptionem hujus morbi, mihi reperire non licuit, quapropter incertus ſum, an morbus ille Colicus apud Pictavienſes poſt Citeſium demum exacerbatus fuerit, vel adhuc graſſetur, nec ne? Ergo faxit Triunus, ut impoſterum ſemper ſepultus manſurus, ac nunquam rediturus ſit.

Sed quod ad curam, omnes Auctores ad hæc uſque tempora, unum eundem-

que ſervant ordinem, ſcilicet, cum purgantibus, clyſteribus, aliiſque, ſed cum morbus tam atrox ſit, hiſce remediis non cedit, & fortioribus irritatur, tandemque omnibus incaſſum peractis, & adhibitis medicaminibus, æger, tantis miſeriis paſſus, in meliorem ſtatum ſecum agi credit quidem, & ventris dolores remittunt; at cubiti, manuum, tibiarum & pedum motus perit, integro tamen ſenſu.

Hanc Paralyſin præcedunt Epilepticæ aliquot convulſiones, eas ingruentes præmonſtrat plurium horarum cœcitas, quæ per ſeptem, & plures dies perſeverat, tunc dolores leves, aut nulli ſunt.

Interim dolor exacerbatur, & Epilepſia recurrit, & partium omnium infra caput, Paralyſi affectarum, vires paulatim recuperant; ſed poſt aliquot menſes ægri fiunt pallidi, ſqualidi, macilenti, manibus incurvatis, ſuo pondere pendulis, voce clangoſa, & ſibiloſa, ſicque miſeros ægros dimittunt, donec tandem indubitata morte, ultimum compenſent debitum.

Nec omnibus tamen manet eadem ſors, ſed inſtar Prothei, varia & mutabilis, nam à purgantibus ingraveſcit, & fortioribus irritatur. Sed quid jam agendum, in ca-

caſu tam deplorabili, cum prædicti Auctores, unanimi conſenſu, quoad Colicam Epidemicam, ab aëre depravato eam deducant; & quoad Endemiam Colicam bilioſam, cauſam ſtatuant in depravata chyloſi, ac labefactata ventriculi concoctione, quæ revera hujus mali cauſa eſt.

Quapropter veteres contumaces obſtructiones bilioſas, analogo Cholagogo, ut Hiera Picra triplicata Colocynthide, ſive confectione Hamech, Scammoniatis, reſinoſis, aliiſque fortioribns purgantibus auferre voluerunt; ſed nauſeabundus ventriculus, mox vomitu rejecit talia, quod non mirum.

Tunc excogitarunt, purgantium molem minorem, ex utroque Crollii Panchymagogo, & ſimilibus exhibitis in forma boli, aut pilularum; ab hiſce aſſumptis, repetunt dolores atrociſſimi, non minus punctorii, ac mordaces; tunc oleo amygdalarum dulcium, & olivarum, aut roſarum, cum ſyr. roſ. ſol. cum ſenn., inde humores quam maxime recrudeſcunt; tunc ſine mora repurgabant, præcedente cathartico. Indè dolores multò atrociores evadebant, tunc iterum ad leniendos dolores, ad præcedentia recurrunt olea, cum ſyr. roſ. ſol. cum ſenn.

Sed

Sed quia præcordiorum æstus ægrum anxium faciat, sanguinem mittunt ex brachio, & pede, tunc viderunt, quod brachia resolvi, ac Paralytica fieri incipiant; & imperitum vulgus, ac mulierculæ putant illud symptoma, à phlebotomia inductum fuisse, nec ulla ratione hac de re deduci possunt.

Tunc clysteres purgant. laxant. ac Balnea diversa, in usum revocanda; his non juvantibus, tandem media hyeme, tempore tamen pluviali, ægros linteis inclusos, fluvio immergere cogunt; sed hisce incassum adhibitis, ad Anodina refugium sumunt; sed Theriacæ, ac Philonii Romani usu, dolores reduplicarunt.

Tunc refrigerantibus, & aperientibus Apozematibus, ac lacte Asinino, Caprillo aliisque rem aggrediuntur, sed hisce non juvantibus, ad aquas medicatas, diversi generis confugium sumunt; & ut nil intactum præterirent, magno ægrotantium damno, sudorem magna vi tentarunt; unde corpori quasi incendio perfuso, magnos dolores excitant.

Hinc liquet, quantum veteribus sit operæ & negotii, in Colici doloris caussis radicitus amputandis; quia tot novis symptomatibus, & novis mutandi consiliis interturbantur, ut miseros tandem dimit-

te-

tere cogantur, pallidos, ſqualidos, macilentos, manibus incurvatis, voce clangoſa, ac ſibiloſa, donec tandem indubitata morte, ultimum compenſent debitum.

Jam videre poteſtis Viri Clariſſimi, quid non Antiquitas, in enervanda Colicæ bilioſæ ſcorbuticæ pertinacia, quamquam incaſſum omnia tentaverit, ut nihil intactum reliquerint, tam ad hunc morbum curandum atrocem, quam ad demulcendos dolores, attamen ægros dimittere coacti ſint, macilentos, ſqualidos, manibus incurvatis, aliiſque horrendis ſymptomatibus atrocioribus, & inexſpectatis pro incurabilibus habitos.

Si quis autem ſeriò, & ſine præjudicio oculos convertat, ad hunc morbum tam atrocem, quo neque purgantibus, etiamſi fortiſſimis aliquid ſuperare potuerunt, nam nauſeabundus ventriculus, mox vomitu talia rejicit, etſi purgantium molem minorem præſcripſerint, attamen dolores repetunt, non ſolum mordaces, ſed punctorii, quapropter ad hoſce demulcendos oleoſa, cum ſyr. lax. exhibuerunt, unde dolores denuo recrudeſcunt; & ab omnibus in præcedentibus præſcriptis, iteratis, ac reiteratis, dolores adhuc multo atrociores evadunt, & miſerum ægrum anxium faciunt. Tunc

Tunc ad Venæ lect in brachio,& pede refugium fuit, indè ægri Paralytici evadebant. Quapropter ad Balnea, clysteres purgantes,atque laxantia & Anodina, confugerunt; sed Theriacæ,ac Philon.R. usu dolores recrudescebant. Quid ergò jam agendum, cum in hunc usque diem, neque alia medendi methodus, neque descripta, neque cognita, ab ullo Auctore reperiatur; nisi prout omnes Medici, in selectu suorum remediorum, distinctiores esse solent.

Sed quia praxis medica, ante plurima sæcula eadem fuit, quam hodierna, nonne in omnibus Regnis eadem fuerunt simplicia medicamina, & medicamentorum compositiones eædem, quæ indies novis observationibus, ab experientia, & ratione deductis; continuò crescunt,& augmentum accipiunt, undè artes fiant faciliores.

Nam necessitas medicinam invenit, experientia perfecit, quæ rudis ac stupida erat, progressu temporis, novis observationibus instructa, liberalis facta & erudita est. Nam ars præstantissima medica, non sita est in acumine ingenii, sed in diligenti, accurata observatione naturæ.

Si

Si enim rite comparaveris, obſervationibus præcedentibus ſæculis, *Hippoc. Aphor.*, *Præſagia*, *Coacas*, nunc eſſe eandem morborum naturam, & eodem, ac olim ordine, illorum periodos procedere, liquidò conſtat in Colico ſcorbutico tam atroci.

Nam obſervationes pro ſubjecto habent corpus humanum, cujus motus, ſive naturales ſive morboſi, originem habent ſtabilem, & periodos regulares, ac conſtantes; unde certæ quædam morborum periodi, ut ſtatis horis exacerbationes fiant, ut in doloribus nonnullis obſervatur; nec non in febribus, tam accurate obſervandis, ut fluxus, atque refluxus maris, ita & quoad doloris Colici ſcorbutici curam valet. Omnes enim animi nervos, variis phænomenis contemplandis, acriter intendens videbit, quod Colica Pictonica, non alia ſit, quam Scorbutica, niſi mutato nomine, ac ab una eademque cauſa producatur, ac primordia atque incrementum ſumat, ab humorum diſcraſia, ſiue labefactata concoctione.

Sed cum in præcedentibus viderimus, à medicamentis evacuantibus curationem Colicæ ſcorbuticæ incaſſum peti, ſed eadem maximam noxam adferre, quapropter ex accurata prædictorum omnium pen-

pensitatione, colligere licuit, quod à duobus potissimum causis morbi curationem obviam ire debeamus. Prima est causa *antecedens*, sive humorum indigestio, à caloris & spirituum naturalium defectu orta; Altera est causa *continens*, sive eorundem humorum calor, & exæstuatio, vbi jam tum putredinem nacti sunt, à mora in corpore quàm oportuerat diuturniore, quæ mora ab inconcoctione supra memorata dependet. Hæ causæ à se invicem discrepant, ut, quæ huic prosunt remedia, alteri obsint, unde hic affectus ita curatu perdifficilis est: Nam si indigestionem medicamentis calefacientibus vincere volumus, periculum est, ne ex altera parte humorum calor intendatur; si autem remediis refrigerantibus, calorem, & humorum acredinem mitigare volumus, labefactabitur calor naturalis. Quapropter vitentur victus, & medicamenta calidiora, à quibus humores inflammantur. Nam præcipua curandi intentio in eo verti debet, ut coctioni, indigestionibus sublatis, consuletur.

Quapropter remedia sint, quæ ad leniendum humorum calorem, & acredinem retundendam facere possunt; sive jam respiciamus ad humores corruptos, atque

in-

indigestiones, & coctiones roborandas, undè aliorum humorum aggestio possit præcaveri, & illa, quæ ad humorum calorem leniendum, & acredinem retundendam facere possunt, quo melius succos nutritioni destinatos, in propriam substantiam convertant, ut singularum partium recrementa debito tempore valeat amandare; quapropter talia in Colica scorbutica, & morbis chronicis in præcedentibus allegata & descripta conferunt, sive pharmaca ea fuerint, sive victus ratio, sive exercitium, sive alia ex istis quælibet, quæ sex rebus non naturalibus indigitantur. Hinc hisce supersedebimus, & L. B. ad illa remittimus, quæ in præcedentibus observationibus & sequentibus descripta sunt.

At sicco pede præterire nequeo, cum præcedentia modò prælo subjecta fuerant; Quod *Franc. Citesius, in dissert. de usu Phlebotomiæ*, ubi loquitur de dolore Colico Pictonico, Cap. IX. dicit: *Sicut morbi omnes sua habent principia, incrementa, status, & fines, sic etiam dolor Colico-Pictonicus, qui quondam erat contumacissimus, sese jam benignius præstat, sive quod cœlum Pictonicis faveat, adeo ut frugum, fructuum, & vinorum acerbitas, jam mitigata*

& alio translata sit, cum Colica Pictonica non amplius reperiatur, neque in provincia Pictonica, Andalusia, aliisve Galliæ provinciis, sed exstincta sit, ut observavit in nuperis curiæ peregrinationibus: Idque post Cratonem, qui in Moravia, & Silesia ortum hunc morbum, per totam deinde Germaniam propagatum esse testatur; desiit autem hoc malum ante annos 150.

Jam videre poteftis L. B. quod Colicus hic dolor Pictonicus, Epidemicus fuerit morbus, aft non Endemius, Galliæ Provinciis familiaris, quia non amplius ibidem reperitur, sed exstinctus est. Non mirum igitur, quod post *F. Citesium* paucissimi Auctores de Colica Pictonum mentionem fecerint, cum jam in quatuordecim sæculis, post *Paulum Æginetam*, solummodo bis grassatus fuerit hic morbus Epidemicus, uti observarunt post *Æginetam*, *Avicenna*, & *Franc. Citesius*, quapropter jam iterum altum est silentium inter Auctores, nisi quod inter medicos, quando diuturnos abdominis dolores observant, semper fere Colicam Pictonum accusant.

Exinde videre poteftis L. B. quam male sanitati suæ consulant, quibus cura talium ægrorum demandata fuerit; sed quod dolores Colico-scorbutici, talia horren-

renda, & inexſpectata ſymptomata producere poſſint, quotidiana conſtat experientia.

DE SCORBUTO.

Scorbutus variis nominibus à veteribus impoſitus, nam morbus non unus eſt, ſed morborum potius ILIAS, ex multiplici malorum concurſu, & complicatione oriunda. Quapropter unusquiſque, pro diverſa morbi natura nomina impoſuit, cum affectum hunc antiquis nec incognitum fuiſſe, neque indeſcriptum clareat.

Primo ſub magni lienis nomine, cum tam exacte ſcorbutum quadret, ab HIPPOCR. item à STRABONE, ab oris fœtore & tibiarum imbecillitate, quia crura ita reſolvit, ut homo rectè incedere non poſſit. Sub nomine OSCEDINIS, quapropter medici STOMACACEN, ac SCELOTYRBEN vocabant, & aliis nominibus à CELSO, ÆGINETA, ARETÆO, AVICENNA, Scorbuti veſtigiis, ſed denſa vetuſtatis caligine obductis.

Quapropter à Germanis illud malum duplici nomine inſignitum eſt, & triplici à Danis; à Belgis enim appellatur *Scheurbuyk*, quaſi dicas GASTROCELE, ſeu ventris ruptura.

Endemium Scorbutum eſſe Batavis,

ac locis ſeptentrionalibus maritimis, à depravata victus ratione deductum, etſi in aliis quibuſdam locis, ut Gallia, Germania, quidem hic morbus reperiatur, ſed non frequens, hinc ſilentio præteream. Nam ſua natura contagioſus exiſtit, ubi inveteraſcere incipit; fuerunt enim qui liberis ſuis ſcorbutum legarunt, jure poſſidendum hæreditario, ex ſemine nimirum, & lacte uterino, ac nutricibus infantibus allatum; qui tam varios inter ſe differentes effectus producit, alios ſcorbuticis magis familiares, alios minus.

Alia ſymptomata facultates animales affligunt, illa funeſtum bellum vitalibus inferunt, alia nutritionis organa perturbant, alia denique ad peripheriam corporis immane ſæviunt; ſed cuncta ad calculos redigere, eſſet opus longum, & laborioſiſſimum, at addo Catalogum eorum, quæ cæteris, & frequentius obvenire, & gravius excruciare ſolent ſymptomata.

Classis Prima Symptomatum.

1. Dolores capitis diverſimode affligentes, tenſivi, punctorii, gravantes, nunc vagi, nunc periodici, & ſudationibus matutinis evaneſcentes.

2. Sopor profundus, cum insigni spiri-
tuum torpore opprimens, cum paroxismo
ingruit, & cessante recedit.

3. Vigiliæ, terrores, metus, tristitia,
quandoquidem deliria, ex improviso in-
vadentia, ita & brevi evanescentia.

4. Vertigines crebrò corripientes, quan-
doquidem in Epilepsiam, aut Apoplexiam
rarò desinentes.

5. Convulsiones, & motus spasmodi-
ci, modò universales, modò particula-
res, cum rigida membrorum contractio-
ne, & eadem facilitate, qua prehendunt,
remittunt, iterumque recurrunt.

6. Colicam, & ventris dolores pro-
ducit acerbissimos, cum Paralysi, quæ
nunc crura, brachia, manus, aliasque
partes occupat; differt à veterum Para-
lysi, quia sensus remanet, & alios reso-
lutos dimittit, ac motus perit.

7. Dolores modò in lumbos, modò per
cuncta membra oberrantes, nec ullum re-
quiei tempus concedunt, & circa coxen-
dicis ossa tormenta inferentes.

8. Dolores circa talos, & plantas pe-
dum, qui, ob tenuitatem materiæ mor-
bificæ, partes quasi penetrantes sunt.

9. Arthritis vaga, cum levi Paralysi
conjuncta, quæ cum dolore cessat, & do-
lore redit, & in eandem partem cum do-
lore remigrat.

10. Dolor crurum, tensivus, obtusus, in profundo latens, sub noctem ingravescens, qui manè post sudatiunculas mitescit.

11. Ventris dolores immanes, ut peritonæum disrumpere videantur, vexant non continuò, sed per intervalla; qui huc illuc per universum abdomen discurrunt, soluta alvo, & flatibus per inferiora explosis, neutiquam mitigantur, ac in Paralysin spuriam desinunt. Quibus indiciis dolor ventris scorbuticus, à Colico facile discriminatur.

12. Pleuritis spuria, etsi non minus atrox, quam vera, nec tussim, nec sputi expectorationem, nec pulsum durum, sed mollem habet inæqualem, cum febri, non acuta, sed lenta.

13. Respiratio difficilis, & pectoris angustia interpolata, quæ absque stertore, sibilo, aut tussi afficit, frequentius accidit, post vehementioris corporis, & animi motus.

14. Cordis palpitatio, & lipothymia frequens, quæ majori motu, & exercitatione exasperatur; ac balneis, venere, crapula, & excandescentia ingravescit; & sæpe repentina morte exstinguit.

15. Febres multigenæ, nunc lentæ & continuæ; nunc intermittentes, nunc con-

ti-

tinuæ, & tertianæ mixtæ, ſc. Hæmetriteæ; ab aliis febribus differentes; nunc pulſus tardus, debilis, & inæqualis in declinatione, urina qualis ſcorbuto familiaris.

SECUNDA CLASSIS SYMPTOMATUM.

1. Eſt deglutitio læſa, cum ſtrangulationis metu.

2. Inanis vomendi conatus, nullam ventriculi gravitatem, nullum dolorem anteceſſorem habens.

3. Salivatio prodigioſa, haud multo inferior illi, quam hydrargyri inunctio excitare ſolet.

4. Alvi fluxus tam diurnus, quam nocturnus; quæ ejiciuntur fæces compactæ, ſed copia cibum excedentes, coloris varii; nonnunquam etiam ſanguinolenti, ſine torminibus inteſtinorum ſeſe manifeſtant.

5. Tarda, atque pigra alvi dejectio, qua fæces, & cibi reliquiæ raro, nec prout aſſumptorum ratione deſcendunt.

6. Hæmorrhagiæ ingentes, ex uteri, ani, narium, pulmonum, ventriculi, crurum, labiorum arteriolis conſpicuis erumpentes, nullumque aperturæ veſtigium, poſt ſe relinquentes.

7. Urinæ insigniter variæ, initio tenues, & citrinæ: nunc crassæ atrescentes, rubræ, turbidæ, & in hæmorrhoidibus cum dolore, & ardore exstillant.

8. Exanthemata, seu maculæ, crurum, dorsi, pectoris, aliarumqne partium, cutim vario sparsim stigmate fœdantes, primo rubicundæ, purpureæ, sublividæ, nigricantes, interdum mox ab eruptione disparentes, interdum ad plures annos infixæ, aliquando in gangrænam, & sphacelum abeunt.

9. Tubercula dura, undique dispersa & tumores magni, in inguine, cæterisque glandularum sedibus fixi.

10. Erysipelas, illa nempè phlegmonis species, quæ rubro roseoque colore, de loco in locum migrat, sæpè singulis septimanis, interdum menstruatim, quandoquidem semel in anno recurrit.

11. Ulcera crurum, surarum, faciei, pudendorum carnes exedentia, nec pus, nec saniem proferentia, ast sicca ut plurimum, crustosisque, & ad livedinem tendentibus labiis circumsepta, quandoquidem in carcinoma, aut gangrænam desinentia.

12. Pedum tumores œdematosi, duri, renuentes, cum tendinum aliquali rigiditate vexantes.

13.

13 Hydrops, cum ventris, hepatis & lienis tumore, quæ post catharsin ingravescere solet.

14. Gingivarum intumescentia, laxitas, putrefactio, cruentatio, dentes vacillantes, halitus fœtidi.

15. Atrophia universalis, à succi nutritii inopia corrupta.

16. Scabies aspectu fœtidissima, à succo nutritio depravato.

17. Cæcitas subitanea ex iisdem impuritatibus, cum summa pectoris angustia, difficili respiratione, & urinis turbidis, subrussis, nigricantibus conjuncta.

18. Icterus cum hydrope, ascitide, asthmate.

19. Crepitus ossium, ad quosvis articulorum motus, & inflexiones, à WILLISIO observatus.

20 Ossium fragilitas tanta, ut minimo impetu, quasi spontè transversim dissiliant; vide SCHENCK lib.5. obs. 8. item FABRIT. HILDAN. cent.2. obs.68.

Sunt insuper alia symptomata, non minus prodigiosa, quæ detexisse traditur, sed studiosè omitto; & paucis admoneam, non eadem symptomata, omnibus esse communia, non omni tempore, eadem pati singulos, sunt enim

ſicut aliorum morborum gradus, & pro temporum horum varietate, variant quoque ſymptomata, & in diverſis ſubjectis ingens ſymptomatum diverſitas exoritur.

Sed in prædictis ſymptomatibus, non creſcit ultra ſui principium; illis in augmento eſt; in aliis eò uſque vigent, ut ad ſummum tyrannidis veſtigium aſcendiſſe videantur, & pro temporum horum varietate, variant quoque ſymptomata, quæ proindè nunc pauciora, & mitiora, nunc plura & graviora infeſtant, pro temperamentorum hominum diverſitate.

Illa enim ſymptomata diſcrepant in cauſis procatarcticis, & conjunctis, quod non mirum eſt, in diverſis ſubjectis ingentem ſymptomatum diverſitatem exoriri, & nil ſolennius hiſce diris affectibus eſt, quam cruciare per periodos.

Non eſt autem, quod quis, aut eoſdem in omnibus, aut ſemper ejuſdem moris, aliquot in quovis, exſpectet reperire.

Ex jam deſcriptis per compendium patet, quod ſcorbuti malitia, quibus humani corporis ſanitati inſidias ſtruit, nunc clanculum, nunc aperto marte corpus devaſtet, Quid lucis inde nobis affulſerit, ad inveſtigandam ipſius eſſentiam, tot difficultatum tenebris abſconditam, hic conjun-

jungere consentaneum arbitror; & qualiscunque demum is humor fuerit, undè scorbutus ortum sumit, & qualis hæc sit natura & conditio, ut cum nervis tales inimicitias gerat, ac exerceat graviores, quàm cum cæteris quibuscunque universi corporis partibus.

Nam Scorbutus, ab humoribus diversimodè peccantibus, ac eorum labefactata concoctione, ac depravata chylosi, ortum atque progressum capescit, & causa quidem primaria est plurimorum chronicorum morborum, ut & ipsæ Podagræ, qui ex hoc morbo initium atque incrementum sumunt. Nam bilis, succus lymphatico-pancreaticus, saliva, & lympha in vasis contenta, & extravasata, ac mucaginosa, internam fistulæ intestinalis faciem obtegens, diversis qualitatibus peccare possunt, uti salsedine, oleositate, crassitie, quantitate, & qualitate.

Scorbutus est aliqualis cachexiæ species, ab humoribus corruptis productus, & quia tam varius morbus est, plerumque distinguitur, in *calidum*, & *frigidum*, etsi ab una eademque causa proveniat; humoribus scilicet corruptis, & solidis vitiatis, attritu vasorum, aut relaxatione; vel â nimia humorum indigestione aut crassitie, qua de re, vel admodum tardè

ad

ad coctionem perveniunt, aut rarò eandem attingunt. Nam ſinguli, ad unam, eandemque cauſam univerſalem referri debent, (ſi rectè conjicio) humorum ſc. indigeſtionem; undè tot ſymptomata, pro ægrorum & temperamentorum diverſitate, & obſtructiones ac humorum ſtagnationes oriuntur, quamvis in uno homine nunquam ſimul occurrant, & ab Eugaleno quadraginta novem ſpecies enumerantur, quæ pro ſymptomatum, & corporum afflictorum varietate ſunt diverſæ; & in diverſis Regionibus ſeptentrionalibus adeò familiaris eſt, ut nullus ferè reperiatur morbus, cui non aliquid ſcorbuti ſubſit.

Sed cum de dolore Colico, ſcorbutico ſimili, nobis jam ſermo ſit, & quia ſcorbutus tam varius ſit morbus, ſed rarò ad ſecundum, aut tertium gradum in hac Colica ſcorbutica aſcendere videatur; cum cauſa proxima doloris colici ſcorbutici in hiſce lateat, quod hic morbus plurimos invadat, ubi ferè nulla ſcorbuti ſigna ſeſe manifeſtant, neque in ſuis ſignis diagnoſticis ſeſe offerunt, maculæ lividæ, ſive purpureæ, neque ulcera ſcorbutica, tam cacoëthica, quam phagedænica, ſub nomine ulceris, Cancri, gangrænæ, ſphaceli, aliiſque titulis.

Si

Si quis autem oculos suos in prælongam, quæ præcessit dolorum Colicorum scorbuticorum seriem, attentius reflexerit, & mente singula eorum seriò, & citra præjudicium pensitaverit, perpauca sane tanto ex numero inveniet, quæ non ad SCORBUTI, ARTHRITIDIS, PODAGRÆ, NERVORUM, aut membranarum, sive nervulorum fibrillis contextorum, molestam irritationem commodius referantur, quam ad quarumlibet cæterarum partium offensiones; manifesto indicio, SERUM CAUSTICUM BILIOSUM ACRE LUBRICANS, stillare in partibus membranaceis, tendinosis tenerrimis, musculos & ossa, aliasque partes contegentibus, ac concomitantium porulis, seu orificiolis acrimoniam insolitam acquirere, quæ doloribus vagis, fixis, & atrocibus, totam humani corporis machinam, ita afficere, & quasi destruere, summo cum impetu possit, ac dolores crudelissimos proferre valeat.

Sed his diris colicis affectibus nil solennius est, quam excruciare per periodos; non est ergò, quod quis, aut eosdem in omnibus, aut semper ejusdem moris, aliquos in quovis, exspectet reperire.

Nam causam colicæ scorbuticæ, arthriticæ, atque podagræ continentem, & proximam, non in hoc, vel illo ex visceribus membro, tanquam in propria sui minera stabulari, sed per universum corpus diffusam, vel sanguini, vel succo nutritio, vel utrique (licet fortasse non ex æquo) primariò inhærere certum est. Nam symptomata planè evincunt, ut non huic, aut illi, seu visceri, seu membro speciatim, præ cæteris affixa manere soleant, at de uno, in aliud membrum migrando, sæviant in cuncta; uti luce clarius elucescit in Podagra, Colica scorbutica, Arthritide, & quam arctissimo vinculo hi morbi sint conjuncti, ex præcedentibus vobis palam fuit, & ex sequentibus luce clarius patebit.

Quid enim dolor Colicus, scorbuticis similis, aliud est, quam Arthritis, sive Podagra? quæ ob labefactatam, tam in partibus, quam in succis corporis universis, à depravata chylificatione ortum ducunt, ob defectum spirituum animalium, quæ præcipua coctionis instrumenta sunt, ac per totum corpus deficiunt, immodico calore, & exercitio consumpti, undè corpus flaccescit, & coctiones non amplius rectè promoventur, ac ingens humorum colluvies sanguinem opprimit, & viscera

suf-

ſuffocat, donec tandem iſta materies calorem putreſcentem acquirit, prout anſa hujuſmodi humoribus in motum ciendis data fuerit; ſive à ſolidis vitiatis, vaſorum attritu, aut relaxatione, vel à nimia humorum indigeſtione, vel craſſitie, qua de re, admodum tardè ad coctionem perveniunt, vel raró eandem attingunt, undè plurimorum morborum chronicorum proventus.

Et quia hic dolor Colicus tam diverſis, inter ſe differentibus ſymptomatibus ſtipatus ſit, quæ totum meſenterium, nunc peripheriam corporis obſident; undè dolores de uno in alium locum mutantur, cum doloribus rheumaticis, nec non contractionibus ſpaſmodicis, uſque in ſphincterem ani, & veſicæ, imo ad extremos pedes exporrectis, cum pulſu debili, celeri, & inæquali, urina inſtar picis liquidæ atra, conſiſtentiam bilis atræ ac olei lini cocti referente, cum motu tremulo, atque ſpaſmodico, nervoſum genus univerſum afficiente, à ſero cauſtico bilioſo, acri lubricante; undè lypothimia frequens, nauſea, ructus, vomitus, ſingultus, miſerum ægrum fatigant, cum ſiti inexhauſta, & ſtranguria moleſta, cum acutiſſimo ventris, inteſtinorum, lumborum, ilium, & inguinum dolore di-

dilaniatur æger, cum paralysi spuria; atque scorbutica totius corporis, excepto capite.

Et quia non rarò inter Auctores confusio oritur, inter Paralysin & contracturam; nam plurimi Paralysin, Hemiplegiam, Paraplegiam, ac Resolutionem, pro una eademque motus, & sensus privatione indiscriminatim usurpant.

At alia est species Paralyseos, quando motus læditur, illæso sensu, tunc Contractura, sive Paresis scorbutica dicitur, & sic vice versa. Nam motus sæpissime læditur, illæso sensu, quia ad motum efficiendum major requiritur virtus, quam ad sensum, & sic sæpissime sensus læditur, illæso motu.

Sic Riverius: *Non est hæc Paralysis propriè dicta, quæ fit, affecto nervorum principio, sed abusive sic appellata, quæ non totalis est sensus, & motus privatio, ob denegatum animalis spiritus in nervos influxum; sed potius sensitivæ & motivæ depravatio, quia dolorificus sensus adest.*

Sic Fernelius *de part. morb. lib.* 6. *cap.* 10. *Bilis in spinam dorsi, ac in nervorum origines effunditur, undè obstructis cæcis meatibus, per quos spiritibus animali-*

libus patere ſolet aditus, ſequitur ea, quam videmus à bile ſub finem febrium intermittentium, tranſmiſſa Paralyſis.

Hac eadem ratione ſolvi poteſt non minus ardua iſta quæſtio, quomodò fiat, ut progrediente iſto malo, ſimul & ſemel acu inſtar infixæ mammæ pungantur, crura, inguina, & univerſa fere cutis, uti in Podagricis aliiſque ſcorbuticis fit, ut ne ſtragulorum quidem attactum ferant. Per quas unquam vias fertur iſta bilis ab inteſtinis in eas partes? Non per eas venas, quæ ſolæ ad inteſtina pertinent, meſeraicas dictas, à quibus trahi hunc mordacem humorem quis credat, cum nonniſi familiarem alliciat? Quapropter cum HIPPOCRATE agnoſcimus, in corpore humano omnia eſſe perſpirabilia, & naturam ſemper viam moliri, quamvis craſſa, per exiles tranſitura meatus.

Sed quomodò noſtris Paralyticis, illæſo ſenſu, pereat motus, cum nervi ſint ſenſus atque motus organa, præter paucos, qui feruntur ad ſenſoria, ut oculos, & linguam, in quibus alius eſt qui movet, & alius qui ſenſu afficit; aliter ſublato motu, ſenſum permanere non poſſe, quia ſpiritus animales, motricis & ſenſus facultatis Auctores, feruntur per

unam eandemque viam, nempè nervi medullam, cujus poris obstructis, intercipi utramque facultatem necesse est.

Sed cum hac in re, admodum variant Auctores; alii statuunt nervos quosdam esse molliores, & imbecilliores, eosque sensui dicatos, & alios duriores ac validiores, hos motui addictos. His obstructis perire motum partium, quas movere debent. Illis integris, quibus sola sentiendi facultas inest, ut nervis, qui feruntur ad cutem, sensus adest. Alii iterum referunt ad majorem, vel minorem spirituum copiam, quia ad motum pluribus spiritibus opus, quam ad sensum, cum ad agendum majore robore opus sit, quam ad patiendum.

Nec enim nervi omnes duri motorii sunt, nec omnes molles sensifici, ut patet ex secundæ, & septimæ conjugationis nervis, qui oculi & linguæ motui dicati sunt, & tamen molliores sunt, quia cerebro propiores; Ac sextæ conjugationis nervulo stomachico dicto, qui soli orificio ventriculi inservit, & durior est, quia à cerebro remotior; sed unus idemque nervus, ut dictum est, & sentiendi, & movendi facultate differt, pro varia partis, in quam inseritur, conditione.

Nam

Nam ſi in muſculos, qui ſunt immediata motus organa, diſtribuatur, eis movendi facultatem impertit; ſi in cutem, quæ eſt tactus organum, inſeratur, ſolam ſentiendi facultatem communicat.

Alii iterum audacter tenere audent, ſenſum perire non poſſe, niſi prius amiſſo motu, cum tamen ſæpius fiat, ut integro motu, pereat ſenſus, ut variis exemplis demonſtrare licet. Nec ſatisfacit, quod reſpondent ad epilepticos, comatoios, phreniticos alioſque, quibus, manente motu, ſenſus eſt læſus; vel propter imaginationem læſam illos non ſentire, quanquam in illis maneat ſenſus.

Jam adhuc alia quærenda eſt ratio, ut nodum hunc ſolvamus. Nervum in duas ſubſtantias dividimus, medullarem unam nternam, alteram membranoſam, atque xternam, per illam nervus vim motricem conſequitur, eamque trahit à cerebro, quo cum ſubſtantiam habet communem, ut nihil dicam de ſpiritibus, per eam influentibus. Per hanc vim ſenſificam adipiſcitur, eamque trahit à membranis cerebri, cum quibus habet communem ubſtantiam. Illa quovis humore obſtru-

cta, perit motus. Hac præ nimia humiditate laxata & resoluta, sensus deperditur; si enim utramque partem humor occupat, Paralysis est absoluta; sin alteram tantum, tunc perit sensus, integro motu, nunc motus, integro sensu, ut in nostris Paralyticis, quibus nervorum substantia medullaris bile infarcta, & obstructa est, ideoque motu privantur.

Membranosa verò, & fibrosa sana est, coruscantibus, aut in eam transmissis, ab animali facultate, tanquam Sole, spirituum radiis, quæ est elegans GALENI comparatio, de symptom. caussis; ideoque biliosæ materiæ appulsu, se lacessitam sentit, sed & externas aëris injurias, molestissimè ferre compertum est.

Sed in Colica Pictonum, epilepsiæ, & cœcitatis causæ, ab ipsis cerebri ventriculis, & origine nervi optici, illis mordaci isto humore vellicatis, hoc vero obstructo, petendæ sunt.

Sed cum humor biliosus, qui ex quavis causa exustus est, crassior factus fuerit, hæret diutius in præcordiis, antequam caloris nativi robore, atque convenientibus remediis, attenuatus fuerit,

ac

ac per alvum perfecta crisi, vel ut sæpius contingit, imperfecta, in Epilepsiam, vel Paralysin degeneraverit; & tales si in ægros incidimus, diuturniorem fore morbum, si non etiam periculosum, certò pronuntiare non dubitemus.

Sed cum passim apud Auctores, de diversis Colicis differitur, & inter illos Vir excell. ingenii, LAZ. RIVERIUS, ubi loquitur, de dolore Colico-scorbutico.

Est & alia Colicæ biliosæ species, quæ in Paralysin degenerat, NB (VETERIBUS PARUM NOTA), *quæ fit ab humore bilioso, non in colon intestinum, quemadmodum alia colica; NB. Sed in abdominis membranis repente effuso, qui eo transfertur, à cystide fellea, vel mesenterio, in crisi diuturna febrium, aut à vehementi iracundia, aliaque causa externa, quando propter obstructiones ad vias communes effundi nequit, sed motu præpostero, ad prædictas membranas repentè excutitur.*

Hinc dolor oritur crudelissimus (Colicum imitatus) qui neque clysteribus, neque fomentis, aut aliis remediis cedit, & ad plures menses, imo annos perseverat, undè corpus contabescit.

Interdum vero in ipsum cerebrum erum-

pit, & convulsiones epilepticos producit; undè mors ut plurimum solet succedere.

Sic WALDSCHMIDIUS *apud* J. ALLEN, in Synopsi: *Est Colica quædam scorbutica, ubi ægri conqueruntur de intenso dolore circà lumbos, & non in intestinis, sed in musculis abdominis; ibi mesenterium afficitur, & causa morbifica hæret in plexibus nervorum, NB.* SUCCO NUTRITIO DEPRAVATO; *sæpè terminatur in Paralysin, & cessante paralysi redit dolor consuetus.*

Sic GUILIELMUS BALLONIUS, ubi loquitur de dolore Colico-scorbutico: *Imum ventrem exercent dolores, quos frustra multis adhibitis remediis, sive ea assumantur, solvere cogitabis, injectis clysteribus non solvuntur, & medicamentis paulo vehementioribus irritantur, ob similitudinem NB.* (Colici nuncupantur), *quibus tamen non in colo intestino sedes est, sed in Peritonæo, vel in membranis, quæ abdomini, & ventris partibus obtenduntur.*

Sed quo modo hunc morbum jam nominare debemus, quia veteribus parum notus fuit, uti fatetur LAZ. RIVERIUS in Cap. de Paralysi. *Quia humores biliosi acres, non in intestinum Colum, ut alia Colica, sed in abdominis membranis, ubi motu præpostero repentè amandantur,* *cly-*

qui dolor, NB. (Colicum imitatus) neque clyſteribus, neque fomentis, neque aliis remediis cedit, ſed ad plures menſes, imo annos perſeverat, undè corpus contabeſcit, & mors plerumque præ foribus exſtat.

Non mirum igitur, quod veteres hunc morbum non curare potuerint. Sed ſi cogitaſſent, quam facilè arthritis, podagra, herpes, ſcabies, & alii morbi cutanei, in dolores Colicos, (quaſi imitatos) variare poſſint; & è contra, tales dolores Colici, in arth. podagram, ad corporis peripheriam, ubi illorum ſedes eſt, & eſſe debet, ubi per propria ſua emunctoria, non tam cito amandari poſſint, propter labefactatam humorum concoctionem, & ſpirituum inopiam, ægrum ſæpiſſime conjiciunt in ſummum vitæ periculum, cum ventris torminibus, laſſitudine ſpontanea, & propenſione ad diarrhæam, cum ructibus nidoroſis, qui putreſcentem guſtum referunt.

Sed quam diu talia vigent ſymptomata, dolores artuum leniuntur, & paroxiſmus longas moras nectit, ac patiens ſumma ægritudine potius conficitur, quam dolore.

Si autem hoſce dolores, per enemata, purgantia, aliaque remedia alvum laxantia, mitigare volueris, ægrum conjicies

 in

in ſummum vitæ periculum, aut in mortem, uti ſæpius ab imperitis, & adhuc nuper obſervare licuit, & plerique, qui podagra retroceſſa pereunt, non aliter moriuntur, niſi quod morbus ab imperitis male tractatus fuerit.

Nam nullus eſt morbus, in quo medicus tam facile peccare poſſit, quam in curatione podagræ retropulſæ.

Si autem Podagricum talia ſymptomata vexaverint, quod in tali caſu ſemper fit, propter corporis langueſcentiam, & ſpirituum inopiam, ut ad peripheriam corporis materia peccans amandari nequeat.

Quapropter ut ſanguis invigoretur, mox præſcribatur brodium, ex vino antiquo Rhenano generoſo, cum cereviſia Neomagenſi, & pulv. diaph. reſorbentes, ut materia peccans in abdominis membranis, aliiſque corporis partibus leniatur, & à centro, ad peripheriam corporis deducatur.

Sicque dolores, qui jam in ventriculo & inteſtinorum, ac abdominis membranis, diu latuerint, ad artus demandabuntur, ubi dolores acerrimos excitant, & eorum ſedes eſt, ſed non in inteſtinis, uti olim cogitatum fuit; nam nunquam vidimus podagricum à dolore in artubus perire. Ni-

Nisi, quod diaphoresi, nimia passim vi, & copia, ob humorum languescentiam, & spirituum inopiam, ad artus demandetur, plus quam ferre valeat; nam tali modo, conjiceres tuum ægrotum in apoplexiam indubitatam, quod scio sæpè factum fuisse, aut in mortem.

Sed quo vehementior dolor in corporis peripheria, eo citius præterlabitur paroxismus, nam sine dolore externo, Podagricus curabitur nunquam, nisi medicamentis in præcedentibus descriptis.

Caveas quoque, ne ad dolores leniendos, aut cataplasmatibus, sive emplastris, oleo Kinkinemalo, aliisque topicis utaris, sicque peccantem materiam, à Peripheria, ad centrum corporis deducas, unde innumera mala exspectanda sunt, in corporis peripheria, ut obstructiones pertinaces, callositates, scirrhositates, ac nodosæ calcis concretiones in ligamenta produces; eodem modo in renibus, hanc tophaceam materiam depones, quare Podagrici, plerumque calculosi sunt, & propter supinum decubitum diuturnum magis agglutinatur.

Quapropter si tales dolores, sive Colico-scorbuticos, Arthriticos, Podagricos, aliosque, vel quali nomine aliter indigitare volueris, diu latuerint, qui neque

clysteribus, aut aliis remediis cedunt, & ad plures menses, imo annos durare possunt, sive (ob similitudinem) Colico-scorbuticos, sive diuturnos abdominis dolores, nominare volueris, cum, vel sine vomitu, aut lassitudine spontanea, vel propensione ad diarrhæam, semper ad peripheriam corporis deducendi sunt, nam *serum causticum biliosum* aliter evacuari nequit.

Quapropter semper ante oculos habeto, Podagram, Arthritidem, Scorbutum, aut alios morbos chronicos, ab humorum languescentia, seu spirituum inopia productos esse, & quod natura admodum debilis sit, hancque peccantem materiam exterminare, sive in articulos, aut per insensibilem transpirationem per propria sua emunctoria, deponere nesciat.

Et quia morbi chronici, tam varii sunt, actione differentes, prout languescentes corporum humores corrupti sunt constituti, nam qualis chylus, talis sanguis, uti patet in cachexia, scorbuto, hydrope, arthritide, aliisque, pro humorum peccantium, & discrasiæ constitutione.

Si autem talis lympha, quæ muriatica est, ad acidum vergit, producit hydropem, cachexiam, scorbutum; si ad austerum, obstructionum pertinacissimorum, cal-

callositatis, scirrhositatis, lapidificationis ortus & progressus exhibet, ac tandem nodosas calcis concretiones producit. Si circa articulos, ac ligamenta verò, ad acre oleosum vergit, intestinos motus, inflammationes & dolores atroces, punctorios, & acutos producit, ut plurimum concomitante cephalalgia, & ardores renum admodum molestos.

Sed quam primum illa corpora varia, inter se concurrentia, resolvuntur, tunc flatulenti habitus, borborigmi, murmura, ructus, dolores Colicos imitantes, & tympanitides indè nascuntur, eodem modò, ac in scorbuto.

Si autem consideremus, quam facilè Arthritis, Paralysis, & Contractura, in dolorem Colicum; & è contra, talis dolor in Arthritidem, Paralysin, ac Contracturam degenerare possit.

Eodem modò, de morbis pulmonum, quodnam habeant commercium, cum partibus generationi dicatis, ac viis urinariis? si autem aliquis rogaret, per quas vias hoc fieri posset, ipsi responderem, illas mihi planè ignotas esse.

Si autem L. B. rogarem, qualem effectum non quotidie videmus, ex castratione, ad barbam, vocem, ac calvitiem?

Et quid Cervorum cornua relationis ha-

habent ad eorundem teſticulos, ubi enim illi exſtirpati ſunt, Cornuum excreſcentiam aut cohibent, vel eorum excretorum decidentiam impediunt annuam.

Et quales effectus non videmus in morborum ſucceſſionibus, quales quotidie in Praxi occurrunt, de una parte in aliam, etiamſi remotam?

Et qualem differentiam non videmus, inter morbos acutos, atque choronicos? Quæ differentia probari poteſt, ſi ob oculos ponamus, quam citò morbi Acuti aut Epidemici aliquem è medio tollant, & coctionem humorum maturam producant; Chronici autem, admodum tardè, vel nunquam, aut longa temporis mora, eandem coctionem attingunt.

Quæ differentia facilè patebit, ſi indigeſtioni parumper horum morborum immoremur, ad indagandas veras indicationes, horum morborum curativas.

Sive jam introſpiciamus interiora terræ viſcera, quæ à vaporum exhalantium interventu, aërem inquinent, ac inficiant Athmoſphæram diverſis miaſmatibus; undè corpus humanum morbis Epidemicis afficitur diverſis, pro ratione aëris inquinati, ab exhalatione à terræ gremio diſrupto; nonne morbos acutiſſimos produ-

ducit, qui habent motum celerem, ac violentum, ac pro diverſa temporum conſtitutione, & Athmoſphæræ conditione, diverſi generantur morbi.

Ut ſunt febres malignæ, petechiales, putridæ, catharrhales, lentæ, verminoſæ; ac variolæ & morbilli, peſſimum induere ſolent morem.

Ad tales referri debent, dyſenteriæ epidemicæ, febres purpuratæ, bilioſæ, ardentes, ophthalmiæ, tuſſes convulſivæ, exanthemata, aliaque quam plurima morborum genera.

Nonne morbi breves ſunt, qui motum habent celerem, ac violentum, qui citò interimunt, aut ad maturationem perducunt? In chronicis autem, ſalia diu latent in corpore, antequam ſuæ præſentiæ faciant fidem.

Quid non contingit in morbis contagioſis? ubi ab effluviis, aut aliis inviſibilibus miaſmatibus, acceſſu unum corpus aliud ad nutum, & motum ſuum diſponit, ut in quibuſdam regionibus & locis, caſus circa vitam, morbum atque incolarum mortem demonſtrant.

Et quare in una eademque vicinia graſſantibus variolis, omnes ferè infantes, qui iis nondum inquinati fuerunt,

hanc

hanc labem contrahunt, uti ſæpè inſigni infantum pernicie obſervatum fuit?

Et qua ratione ſalia diu latent in corpore, quæ nullam faciunt ſuæ præſentiæ fidem? uti patet, poſt morſum canis rabidi, podagram, arthritidem, ſcorbutum, rheumatiſmum, melancholiam, maniam, epilepſiam, luem veneream, ſcabiem, elephantiaſin, rachitidem, paſſionem hyſtericam, & alios quam plurimos, diverſi generis morbos.

Ita etiam in febribus petechialibus, catharris, & morbis artificum.

Nonne videmus in toxico canis rabidi morſu, vel ſaliva communicata, poſt dies aliquot, ſeu menſes, imò poſt plurimorum annorum decurſum hydrophobiam induxiſſe? cum non tantum immediate aëri originem debeant ſuam, ſed ut plurimum, horum omnium parenti, HUMORUM SCIL. INDIGESTIONI.

Sed cum organa ſecretoria, in morbis chronicis, eò uſque ſunt relaxata, ac debilitata, ut functionibus ſuis, ad defæcandum ſanguinem, ſint imparia ritè fungendis, ad ejus ſuperfluitates eliminandas deſtinatis.

Cum enim dicti humores, mora diuturniore in corpore varias putrefactiones ſu-

ſubeant, tales morborum ſpecies producunt, pro depravatorum corporum varietate.

Sed quod debilitas, & relaxatio organorum ſecretoriorum, plurimorum morborum chronicorum cauſa ſit, patet in ſenibus, quorum coctiones, & ſpiritus eorum inſtrumenta, ſunt conſumpti, à repetitis functionibus; quod in junioribus contrarium videmus, ubi organa ſecretoria calore naturali inſtruuntur, ut functionibus ritè peragendis neutiquam deficiant.

Quapropter tempus hyemale, ſenibus maxime eſt infeſtum, propter vitam ſedentariam, in adminiſtranda corporis œconomia, & rarò hyeme tales morbos effugiunt, ad quos magis ſunt proclives, Podagram ſcil. Scorbutum, Aſthma, Pthiſes, Tuſſes, alioſque quam plurimos, quo tempore ingens humorum ſaburra accumulatur.

Quapropter in pleriſque morbis chronicis, & venæ ſectio, & purgatio in principio, quoties opus fuerit repetita, imperanda ſunt; antequam remediis corroborantibus opera danda eſt.

Sed quia ex morbida glandularum, & vaſorum lymphaticorum conſtitutione in ſenibus, glandulæ, & vaſa lymphatica, plus

plus solitò reserata lympham fluidiorem, ac copiosiorem adferunt; sic calculus sæpissime infestat, & obstructiones producit pertinacissimas, quæ callositatem, scirrhositatem, ortum, & progressum lapidificationis exhibent, ac tandem nodosas calcis concretiones in ligamenti producit; uti fit, in Scorbuto, Podagra, Arthritide, aut aliis morbis chronicis.

Et prout in præcedentibus dixi, quod plerique morbi chronici, unam eandemque causam proximam agnoscant, hos laque befactatæ, tam in partibus, quam in succis universis corporis, concoctioni ortum debere existimo.

Sic etiam, in morbis acutis, febribus continuis, aliisque ardentibus, attendendum est, ubi tractu temporis ingens humorum colluvies congesta fuerit, quæ sanguinem opprimat, ac viscera suffocet, diu ibidem hærere potest, antequam ista materies calorem putrescentem acquirere possit, vel ansa hujusmodi humoribus in motum ciendis data fuerit, (nam corpora non agunt nisi soluta) vel aliquod miasma accedat, hisce humoribus in motum ciendis efficacissimum.

Eodem modo, ac in chronicis dictum est, qui causam proximam unam eandemque agnoscunt; uti patet in scorbuto,

qui

qui levis cachexiæ ſpecies eſt, etſi cauſa calida vel frigida ſit, quæ ab humoribus corruptis, & ſolidis vitiatis, attritu vaſorum, aut relaxatione, dependet.

Vel ab humorum indigeſtione, aut craſſitie ortum ſumunt, qua de re vel admodum tardè ad coctionem perveniunt, aut rarò eandem attingunt, ita, ut ad eandem cauſam univerſalem referri debeant, tam in chronicis, quam in acutis, *ad humorum ſcilicet indigeſtionem.*

Uti clariſſime patet in vino, ſuccis plantarum, aliiſque ejuſdem farinæ, quæ diu quieſcunt, quamquam partibus motui concipiendis aptiſſimis ſcateant, nec prius fermenteſcunt, quam partes fermentationi aptæ expediantur.

Sic fœnum madidum repoſitum, nonne poſt menſem unum, aut alterum accenditur; ſic ſalia præcedentium morborum diu quieſcunt, antequam in motum effrenem rapiantur, niſi partibus mixtis liberentur.

Sed prout aër inquinatus, eminus, aut cominus, citius aut tardius malis miaſmatibus inquinatur, & noſtris humoribus commiſceri poterit, eo morbi ſunt leviores, aut graviores.

Sed quid de morbis EPIDEMICIS

 ſta-

ſtatuerim, longè aliter ſeſe res habet, quam in ACUTIS, à cauſa externa excitatis, aut peculiari ſanguinis, aut aliarum partium inflammatione natis, quæ non à cauſa aliqua generaliori, ab aëre dependent, ſed à particulari, particularium corporum anomalia, vel intemperie producuntur, cum annis fere quibuslibet occurrant; & pro diverſa ſymptomatum ſerie graviores, aut leviores ſunt.

Sed Epidemici, quo citius, aut tardius, miaſmata in actum deducuntur, aut in quiete permanent, vel quo major humorum labefactatio eſt, eo morbi ſunt graviores, aut leviores.

Cum peſtis familiariſſima ſit in Ægypto, qui incipit autumno, & deſinit circa ſolſtitium, notandum eſt, quod peſtis ferè nunquam ibidem oriatur, niſi Nilus nimium increſcat, & totas regiones inundet, ſicque per evaporationem aquæ putridæ Niloticæ ibidem peſtis propagatur, & illa corpora labefactata, ad concipiendum tale miaſma matura, magis affligit, quam alia.

Videte, quomodo poma, pyra, aliaque fructuum ac plantarum genera, ſuum tempus habent ut matureſcant, ſic quoque morbi infiniti.

Inſpicite fermentationes, quam ritè ſi in

in quiete permanent, & non turbantur in ſuo motu, opus ſuum abſolvunt, ſed quam primum turbantur in ſuo munère, non bene ſuccedit fermentatio, particulæ enim aceſcunt, aut ad vappeſcentiam, & ad putredinem vergunt.

Ita etiam in plurimis morbis, tam chronicis, quam acutis attendendum eſt, nam tempus debet adeſſe maturationis, coctionis, & deſpumationis, antequam eorum morborum ſolutiones habere poſſumus; ſed non turbanda NATURA, medicaminum copia, aut farragine; illa tibi dux erit, hanc ſequere ſecundum leges mechanicas, in omni machina obſervandas, & qui illam in earum diſpoſitione non ſervat, & à recta deflectit ſemita, in mille errores, aut ridicula deliramenta, ſine dubio debet incidere.

Nam relicta natura, neſcio quibus nugis, & pugnantibus cum ipſius rei veritate figmentis, ac ratiociniis, in horrenda opinionum portenta prolapſi ſunt, ut ſuam, licet ſubtiliter excogitatam hypotheſin, cachinnis & riſui expoſuerint.

Nam natura ſui juris eſt, nec ingeniis addicta noſtris, ſuoſque motus occultos peragit, ut nulla alia via facilius, quam per obſervationum experientiam, ratione junctam, inveſtigari queat.

Quamobrem, nisi attenta meditatione inclinationi obviam iveris illi, & internos temperamenti motus recta ratione dirigere noveris, præfatis, aliisque erroribus obnoxius eris quam maximè.

Præsertim cum medici ante novissimè elapsum sæculum, nec machinarum in corpore fabricam, neque liquorum indolèm explorassent agitantium, futilis falsarum opinionum substituta fuit Theoria, ubi deductæ sunt regulæ, nugarum, & errorum farragine, in morbis curandis adhibendæ, nil restabat, nisi Rhetorum flores Philosophici, ac verborum lenocinia.

Quapropter ars medica, cujus observandi ratio continuo augeri, ac magis amplificari potuisset, rejecta, atque neglecta fuit, quantum enim rei medicæ damnum, & ægrotantium strages inde sequuta fuerit, quis est, qui dubitat?

Uberiora si quis expetat testimonia, ante bis mille, & plura sæcula, adeat viros, artium & scientiarum professores, consulat mortuos, sæcula jungat, & ætates, nil doctrinarum stabile reperiet, nisi illud unicum, *quod naturalis, à corporum naturalium diversitate prolata, firmavit Experientia.*

Reliqua ex votis, & sententiis Doctorum,

rum, in ſuas ſectas inanes diſtributa, ſuo apparuerunt, & diſparuerunt tempore, ut optimè dixerit GALENUS, *falſas opiniones animos præoccupantes, non ſolum ſurdos, ſed etiam cæcos facere, ita ut videre nequeant, quæ aliis clara apparent.*

Quid jam enim differt Praxis medica in illis, quibus ratione, & experientia, per obſervationum, & experimentorum regulas deducta eſt, quam qui ſapientia Geometrico-Mathematica inſtructi ſunt, quæ magis ad ſpeculandas rerum cauſas, & affectuum rationes tendit. An in praxi medica feliciores ſunt cæteris?

Attamen, quæ admiranda Theoretica diſciplina, quod attinet data, poſtulata, propoſitiones, & reliqua id genus ſapientiæ Mechanicæ Geometricæ, divina & aurea ſunt præcepta in ſuo genere, ſed gemmarum inſtar fulgentium magis radiarent, omni pretio clariora, ſi illa æque valerent in Praxi Medica, quam in mera ſpeculatione Theoretica, quo ſucceſſu huc uſque deſtituta ſunt ſaluberrima tempora.

At vero morbi CHRONICI, genium habent, longè ab his diverſum, cum non ita aëri immediate originem debent ſuam, ſed ut plurimum communi omnium horum parenti, HUMORUM SCIL. INDIGESTIONI.

 Ubi

Ubi enim quis naturæ principia jam habuerit infirmata, ac protrita, à continuis erroribus circà *sex res non naturales*; aut si organa secretoria eo usque fuerint debilitata, ut functionibus suis, ad defæcandum sanguinem eliminandum destinatis, sint imparia, dicti humores varias putrefactiones subeunt; tandemque erumpunt in varias morborum species, pro depravatorum corporum varietate.

Et prout hi succi depravati, variam habent indolem, ita varie in hanc illamve partem dilabuntur, quæ eisdem excipiendis aptissima est, atque ibi sensim longam illam symptomatum seriem explicant, quæ partim ab ataxia istis partibus illata solent exoriri: Quæ duo simul juncta, istam naturæ anamoliam constituunt, quæ morbi alicujus nomine insignitur.

Et quod ejusmodî impotentia naturæ, ad coquendos humores, morborum plerorumque chronicorum causa sit, facile liquebit, si animadvertamus SENES, quorum coctiones læsæ sunt, à repetitis vitæ longioris functionibus, quorum spiritus absumpti, hisce affectibus magis esse obnoxios, quam sunt juniores, quorum vitæ flamma magis accensa, recrementa

coa-

coacervata diſſipat, & quorum organa ſecretoria iſto caloris naturalis ſubſidio inſtruuntur, ut functionibus rite paragendis neutiquam deficiant, niſi quaſi ſuffocentur à nimia humorum copia.

Sed veritas magis patebit, ab ingenti, & ſtupendo, ac incredibili emolumento, quod morbis chronicis obnoxii percipiunt à nimio motu, equitatione, ac alio exercitii genere, quantum corpus non invigorat, firmaturque, dum à continua corporis ſuccuſſione calor naturalis reaccenditur, & organa ſecretioni deſtinata, in munere depurandi ſanguinem rite fungendo promoventur: Undè neceſſe eſt, ut ſequatur digeſtionum quaſi deperditarum renovatio, & totius corporis craſis optima.

Jam ex allegatis clariſſime eluceſcit, quod non in podagra tantum, ſed & in aliis quoque chronicis morbis, ubi nullum ſymptoma manifeſtum contraindicat, Tinct. Min. Martis Nativæ, cum antiſcorbuticis, magnum omnino commodum adferre poſſint, cum ſanguini æſtatis calorem vel media hyeme conſulent.

Nam podagra id ſibi habet peculiare, ut non tantum non juvetur, ſed & lædatur à catharticis; tamen in aliis chronicis plerisque & venæ ſectio, & purgatio,

quoties opus fuerit repetita, imperanda sunt, antequam remediis corroborantibus præcedentibus opera danda eſt.

Quapropter Doctiſſ. Th. Sydenh. in tractatu de podagra, dicit: *Eum qui remedium ad hanc intentionem ſatisfaciendam invenire potuerit, longe majora, in ſananda Podagra, ac aliis morbis chronicis præſtare poſſe, quam ipſe ſe poſſe exiſtimaverit.*

Quapropter concoctionum robur, ac firmitudo partium, ſenſim reduci debet, ac reſtaurari, pro modulo priſtinæ, ac conſuetæ corporis œconomiæ; & certiſſimè voto fruſtrabitur is, qui in hoc, aliove morbo chronico omnem curationem ſolis medicamentis abſolvi poſſe autumat, abſque exercitiis.

Si autem reſpiciamus, ad dolores Colicos ſcorbuticis ſimiles, ſive ad podagram retroceſſam, qui tales enormes dolores producunt, cum vomitu bilioſo, & roſione acerrima totius meſenterii, ac partium membranacearum Peritonæi, aliarumque nervoſarum; quales dolores à veteribus pro incurabilibus habiti; & plurimi podagrici hoc in actu ultimum obierunt diem; quia neſciverunt, quorſum materia peccans evacuare debuerat.

Et plurimi adhuc Neoterici reperiuntur,

tur, qui hoſce dolores mitigare voluerunt, per enemata, purgantia, narcotica, aliaque quam plurima, ſed hiſce remediis non cedit, & fortioribus irritatur, cum tamen nihil facilius ſit, quam peccantem materiam ſuo modo eliminare.

Sed plurimi medici, quam primum dolores ventris enormes ſeſe manifeſtant, mox Colicos accuſant, etſi non in inteſtino Colo, ubi dolorum Colicorum bilioſorum ſedes eſt, reperiatur, ſed in toto abdomine.

Et quia humores diverſimodè peccare poſſint, ſi reſpiciamus ad labefactatam concoctionem, aut humorum indigeſtionem, unde humorum labefactatorum aggeſtio poſſit præcaveri, quod in aliis humoralibus morbis idem eſt, qui quantitate, vel qualitate, vel his ſimul peccant, ac plethoram, aut cacochimiam conſtituunt; prout bilis, ſuccus lymphatico-pancreaticus, ſaliva, lympha in vaſis contenta, & extravaſata ſit conſtituta.

Nam ſæpe humores acrimonia ſalina peccant, ut in nimio corporis motu, aëre æſtuante, vigiliis extremis, alvo conſtipata, vel à nimia plus ſolitò evacuatione; vel craſſitie, ac oleoſitate, quando ad calculorum generationem viam ſternit.

Si enim quantitate & qualitate ſimul bilis peccat, ut in cholera, ab alimentis oleoſis, aut ſpirituoſis acribus affatim aſſumptis.

Vel ſi iſtis humoribus alius admiſceatur humor præter naturam, mutatur bilis in porraceam, aut æruginoſam, ob admixtum acidum lymphaticum, uti in dolore Colico Pictonum videmus, à vinis acidis, ac auſteris aſſumptis.

Sic etiam ſaliva, & ſuccus lymphatico pancreaticus, & lympha in vaſis contenta, & extravaſata, uti in ſcorbuto, hydrope, aliiſque peccare poſſunt; undè eſt, quod ſcorbutus tam varius ſit morbus, & ab Eugaleno quadraginta novem ſpecies enumerentur, etſi ab una eademque cauſa proveniant, HUMORUM SCIL. INDIGESTIONE.

Si autem ob oculos ponamus, differentiam Colici ſcorbutici, Pictonici, aut bilioſi. Nam dolor in inteſtinis tenuibus, magis punctorius eſt, quam in craſſis, & diutius durat, uti videmus, in Colica ſcorbutica ſimili, ſive Pictonica.

Nam dolor Colico-*bilioſus* oritur ab obſtructione, per quam fæces erumpere prohibentur, uterque tamen communem habet dolorem, & alvi adſtrictionem.

Sed

Sed in *ſcorbutico*, ac *Pictonico*, nil præter fæces, intra volvulum contentas, per Enemata excernuntur, ſed in bilioſo etiam humores.

In utroque Colico *Scorbutico*, ac *Pictonico* febris adeſt, ſed magis acuta in *bilioſa* Colica, propter inflammationem conjunctam, ex quibus ſignis perfectè diſtinguitur.

Colico-*ſcorbuticus* dolor differt, quod in illo ſit dolor lancinans, mordax, ac rodens, non in inteſtinis tantum; ſed etiam in partibus membranaceis totius abdominis peritonæi, lumbis, cruribus, pectore, mammis, aliiſque partibus, per totum corpus diſperſis.

Bilioſus verò, à pituita vel flatu diſtendens, eſt gravans, circà Epigaſtrium, dextra præſertim parte; & ſolum Colon afficit, quod indicat dolor ſupra umbilicum, ubi ſitum eſt, & flatu emiſſo, aut pituita excreta, dolor ſtatim quieſcit.

Scorbuticus enim perſeverat, etiam fluente alvo, & per vomitum excreta omninò bilioſa ſunt, & cum ardore, atque morſu exeunt, &, ſi bilis vomitus non ſuccedat, ſingultus imminet.

In *Bilioſa* autem, ſolius pituitæ vomitus, vel ſaltem ſola nauſea.

In

In *scorbutica* Colica, urina biliosa acris, cum stranguria sæpissimè excernitur, ut plerisque imponat, non scorbutica, sed nephritica cruciari.

In *biliosa*, urina alba, tenuis, & cruda est.

In Colica autem *scorbutica*, os amaricat, sitis urget, cibi fastidium perpetuum, vigiliæ assiduæ, hypochondria æstuant, arteriæ palpitant, & febris lenta miserum ægrum conficit, quem prius tabidum, arefactum, quam doloris expertem conspicere licebit, quæ signa aliis omnibus Colicis doloribus desunt.

De Podagra, et Arthritide.

Duplices dantur Paroxysmi in Podagra, generalis nempè & particularis, qui universalem constituunt. Nam diversa sortitur nomina, prout nempe diversas occupat partes, si pedes afficiat, Podagra, & sic, pro ratione partis affectæ; si enim brachia, crura, humeri infestantur simul, dicitur Arthritis; si autem de parte in partem devolvantur dolores, Arthritis vaga nominatur scorbutica; cum tamen omnes podagræ species, immediate scorbuto originem debent suam.

Nam

Nam duplices dantur Paroxiſmi in Podagra, unus generalis, alter particularis, qui univerſalem conſtituit.

Particularis, ſingulis diebus recrudeſcit, hora potiſſimum veſpertina, & circà auroram ſenſim miteſccre incipit, nam in his paroxyſmis obſervamus poſteriores, & acutiores, & breviores eſſe, donec conſumpta penè materia podagrica, æger perfectæ ſanitati reſtituatur, ſed primis diebus alvus inobediens eſt; at morbo parum ſuppurato, redeunt appetitus, & ſomnus, alvi laxitas, & reliqua ſanitatis indicia.

Si ſuperveniat membrorum laſſitudo, aut dolor ventris, & nonnunquam diarrhæa, artuum dolores leniuntur, recedentibus verò hiſce ſymptomatibus, iterum excitantur; & modo has, modo alias partes invadit, & ægri patientiam continuo exercet.

Si derepentè materia Podagram efficiens evanuerit, ſive retroceſſerit, incidunt in vehementes ſtomachi dolores, & vomitus bilioſos, & multis ante invaſionem podagræ diebus ſuperveniunt dolores Colici, quibus evaneſcentibus, ſtatim manifeſtatur Podagra, ex quibus confirmatur conſenſus ventriculi & inteſtinorum, inter glandulas cutis & inteſtinorum.

Do

Dolente podagra, abſtineto à medicamentis anodino-emollientibus, nam ex nimio eorum uſu, generantur Tophi in articulis, & exinde contracturæ talium partium ſuccedunt.

Ante podagram, & quandoque poſt ſanatam ſolet ſupervenire pedum tumor œdœmatoſus, qui per criſin quaſi ad pedes ſecernit; in hiſce itaque tumoribus pedum, ante, aut poſt ſanatam podagram, nullum inquam, neque internum, neque externum adhibeas remedium, nam ſæpiſſime obſervavimus, per remedia interne, vel externe adhibita, materiam podagricam ad interiora retroceſſiſſe, & Apoplexiam, Aſthmata, febres, imo mortem repentinam produxiſſe; conducit itaque tali in caſu, omnia naturæ committere, & primis coctionibus proſpicere, diætam, & exercitium inſtituere obſ. SENNERTO *de Arthrit. Dyſenteria Podagram ſanat, & aliæ eliquationes valde proſunt, quæ ad inferas ſedes repunt, monente* HIPP. 2. *Proret.*

Arthritis interdum mutatur in Colicam, & Colica in Arthritidem, aliquando in hydropem Aſcitidem, & Anaſarcam.

Ante invaſionem paroxyſmi, urina, ſudor, ſputum, & alia excrementa parcius prodeunt, inappetentia, & laſſitu-

do

do aliqualis obſervatur, & venæ intumeſcunt.

Varices, articulorum dolores ſupervenientes, liberationem promittunt ægrotanti.

Senes à magnis morbis liberant articulorum dolores, contra, ſi non ſuperveniunt, ad magnos morbos diſponunt.

Qui debili ſunt ventriculo, ab articulari morbo non liberantur, niſi reſtituto priſtinæ ſanitati ventriculo; & quantum diligenti obſervatione colligere potui, optima inſtituta diæta, nec non remedia ſtomachica, (modo non ſint calida) omnem abſolvunt paginam in Podagricis, & Arthriticis, item aquæ potus, & exercitium.

Sed cum dolor Colicus ſcorbutico *ſimilis*, ab uſurpato nomine ita dictus, nil aliud ſit, niſi PODAGRA in quibuſdam, quæ ob labefactatam humorum coctionem, per propria ſua emunctoria, ad corporis peripheriam pervenire non potuit, propter humorum peccantium abundantiam, & ſpirituum inopiam, unde bilis magis, magiſque inflammata, ac acrior facta, cum humotibus corruptis permiſta, in actum deducitur. Hinc SERUM ACIDUM BILIOSUM CAUSTICUM ACRE STILLAT in genus

nus nervosum, tam mesenterii, quam peritonæi, aliarumque partium membranacearum, ubi tam diu suas tragædias exercet, ac talia horrenda, & inexspectata symptomata producit irregularia, donec appropriatis medicamentis, ac robore naturæ, per propria emunctoria ad corporis peripheriam possit amandari, ubi genus nervosum, tam in pedibus, manibus, genubus, aliisque corporis partibus, summa miseria afficit, quando *Podagræ* nomine indigitatur.

Sive hosce dolores Podagricos, jam hæreditorios, aut adventitios nominare volueris, qui tales tragædias exercent, sive à Podagra, Arthritide aut Paralysi retrocessa, sive scorbuticos, Pictonicos, aut à scabie, aut herpete retropulsos, idem erit.

Si autem hosce dolores, per enemata, purgantia, narcotica, aut venæ sectiones mitigare volueris, hisce remediis non cedunt, & fortioribus irritantur. Quapropter leni diaphoresi, cum resorbentibus lapidibus pretiosis, aliisque tractatur, quæ diu in ventriculo, ac intestinorum circumferentia morari possunt, antequam serum biliosum acidum, causticum, acre absorbeant, quod partibus nervosis, ac membranaceis tam firmiter affixum hæret, ut non facilè possit resorberi ac temperari. In-

Interim detur brodium, ex vino generoſo, antiquo Rhenano, cum cereviſſia Neomagenſi, ut labefactata humorum concoctio, parum invigoretur, ſed lente procedendum, ne materia peccans adhuc cruda, & incocta, nimia vi ad artus demandetur, aliàs ægrum conjicies in ſummum vitæ periculum, aut in Apoplexiam indubitatam, aut in mortem.

Morbi enim cauſam proximam ſtatuimus in labefactata tam in partibus, quam in ſuccis corporis univerſis humorum concoctione; cum tali in morbo, uti in plurimis aliis chronicis, ſpiritus animales deficiant.

Si autem regulari modò procedit podagra, ſæpe hæreditarius eſt morbus, & florentes ætate corripit, præcipuè quibus veneri maturius indulgere licuit, quique liquores ſpirituoſos avidè hauſerunt, & derepentè ad liquores tenues refrigerantes ſeſe contulerunt; ſicque calore nativo, & corporis vigore imminuto, ut materia peccans non tam citò in articulos deferri queat, ob ſubjecti debilitatem, ac corporis calorem imminutum, ſolitam tyrannidem exercere non poteſt, neque ad corporis peripheriam aſſurgere, nec ad propria ſymptomata aſcendere valet.

Si autem talis materia ad maturitatem

pervenerit, intumeſcentia corporis quaſi ventoſa, ac cruditate ventris corripiuntur ægri, donec tandem Paroxiſmus prorumpit, cum totius corporis torpore, ac motibus ſpaſmodicis.

Tum dolor ſeſe manifeſtat in pedibus, tum dextro, tum ſiniſtro, aliquando ſuram, calcaneum, aut talum occupat, ſed in principio remiſſior, qui gradatim intenditur, donec tandem ligamenta obſideat, & quaſi ligamentorum dilacerationem exhibeat, ut æger nec linteaminum ſuperincumbentium pondus, neque ambulationem per cubiculum ferre valeat, cum mutatione ſitus quaſi perpetua.

Circà horam autem matutinam corpus leni madore perfunditur, indè dolor multum imminuitur, & pars affecta tumore occupata cernitur, ſed poſt biduum triduumve ſub veſpera levatur.

Multis ante invaſionem podagræ ſuperveniunt dolores Colici, quibus evaneſcentibus, ſtatim manifeſtatur Podagra, ex quibus confirmatur conſenſus ventriculi, & inteſtinorum inter glandulas cutis, & inteſtinorum.

Nam ſenes à magnis morbis liberant articulorum dolores, contra, ſi non ſuperveniunt, ad magnos morbos diſponunt; & qui debili ſunt ventriculo, ab

ab articulari morbo non ſanantur, niſi reſtituto priſtinæ ſanitati ventriculo.

Et quantum diligenti obſervatione colligere potui, optima reſtituta diæta, & remedia ſtomachica, non calida, omnem abſolvunt paginam.

Nam intra paucos dies, alter pes eodem dolore afficitur, ac debilitas, quæ primum infirmaverat, mox evaneſcit, viribus integris reſtitutis, (*ſi pes ſolummodo ferocius à dolore afflictus fuerit*), ac ſi nunquam laboraſſet; ac tales tragædias exercet, quas prius in altero pede, tam quoad doloris vehementiam, quam durationem exercuerat.

Si autem pes unus impar ſit, cum materia peccans adeò turgeat, materiam aſſumendi, utroſque ſimul, ſimili vehementia afficit, ſed utplurimum pedes ſucceſſivè aggreditur, donec tandem, materia peccante abſumpta, æger priſtinam ſanitatem recuperaverit, quod in uno, aut altero ſubjecto, multum differt, pro ægrorum, ac corporum diverſitate.

Urina in principio plerumque coloratior eſt, cum ſedimento rubro, arenulis referto, & æger vix tertiam potulentorum partem, quam aſſumpſit, per veſicam exonerat; plerumque cum alvo conſtipata, appetitu proſtrato & totius

corporis rigore circa veſperam, ac partium gravitate, quæ integrum paroxiſmum comitantur; ſi verò natura ab impedita medicatione turbetur, phænomena multum inter ſe diſcrepant, à præcedentibus diverſa.

Nam dolor pedibus infeſtans, alias partes occupat, jam manus, genua, cubitos, aliaſque corporis regiones, ſicut pedes olim ſolebat, ſummo cum cruciatu, ita ut digitos manuum quaſi diſtorqueat, ac motu paulatim privet, tandemque articulorum concretiones, tophaceas reddat, ac materiam tartaream in tophos, ſeu nodos concreſcere faciat; Quandoquidem materia cubitis impacta, tumorem ovi gallinacei magnitudinis præbet, qui ſenſim inflammatur, cum rubore.

Si autem genua petat, acrius urget, ac omnem motum inhibet, ut ne gru quidem de loco in locum moveri queat, ſed dolor non per omnem paroxiſmum extenditur, ſi modò pars affecta quieſcat; ſed tractu temporis, ubicunque ſævit, ac ſedem figit, maximè ſi pedes, ac genua occupaverit, cum omnimoda appetitus proſtratione.

Interim materia peccans ſenſim deſpumatur, ut corpus naturali officio fungi

gi queat, cum partibus quaſi contractis, ut vix ſtare atque meare poſſit, niſi cum claudicatione permoleſta, propter corporis langueſcentiam, ac debilitatem, ab ipſo paroxiſmo contractam; &, ſi ultrà vires ambulare præſtiterit, tantò magis corpus confirmabit, & dolori excipiendo minus obnoxium reddet.

Sed viſceribus majus periculum (tunc temporis) imminet, cum materia peccans, non tam libere, propter langueſcentiam humorum, ad Peripheriam corporis deferri poſſit, cum extremitates corporis, in illo tempore, doloris ſint expertes, ſed ſenſatione moleſta tententur perpetua.

Si enim irregularis Podagra & ab indebita medicatione turbatur, tunc morbi fomes pervertitur, & phænomena planè ſunt diverſa, ac in principio; nam alias partes occupat, quod certiſſimum ſignum eſt, morbi methodum eſſe inverſam, tunc ſine diſcrimine quaſcunque corporis partes occupat, manus ſc. carpos, cubitos, genua, ſicut in podagra regulari pedes olim ſolebat.

Tandemque concretiones circa articulorum ligamenta tophaceas, ac gypſeas producit, cretam æmulantes exhibet conſpectui, nonnunquam cubitis impactas, tumorem ſubalbidum, ad ovi magnitu-

dinem anserini, qui sensim inflammatur, cum rubore.

Jam artus habet fere undiquaque contractos, & quamvis stare, & parum procedere possit, gressu tamen claudicante prorepit; & si ultra vires ambulare præstiterit, quanto magis ambulando confirmabit, & dolori excipiendo minus obnoxios reddet pedes, tantò magis morbi fomes periculosius visceribus imminet, cum in pedes ita libere nequeat effundi.

Sed aliis etiam multis symptomatibus infestatur æger, ut venarum hæmorrhoidalium dolore, ructu nidoroso, aliisque.

Appetitus languet, & totum corpus præ spirituum inopia flaccescit, & urina, quam prius coloratiorem, & pauca quantitate solebat reddere, jam colorem imitatur & copiam, quam in diabete.

Sed paroxismi sequentes clementius ægrum quoad dolorem tractant, ob materiæ peccantis onus suppressum, quod in extremitatum corporis tam strenue relegare amplius non valeat, cum ventris torminibus, ac lassitudine spontanea, cum pronensione ad diarhæam.

Dum vigent hæc symptomata, artuum dolores leniuntur, qui tandem evanescunt, sed paroxismus longas nectit moras;

ras, tandemque ægritudine potius conficitur, quam dolore.

Nam quo dolor vehementior erit in hoc morbo, eo citius præterlabitur paroxiſmus, (*nam dolor amariſſimum eſt Naturæ pharmacum*), & longior erit doloris intermiſſio, & magis perfecta; & ſic vice verſa.

Non enim rectius Podagræ, quam iracundiæ paroxiſmus dici poteſt; cum mens & ratio, ab infirmato corpore enerventur, ut vel leviſſimo affectuum motu impellantur, & vacillent: undè non magis ſibi ipſi, quam aliis gravis eſt, donec morbo evaneſcente, animus priſtina ſanitate convaleſcat.

Nam huic morbo obnoxii ciborum in genere ſunt appetentiores, ſed difficillimè ventriculo cedunt, propter humorum langueſcentiam, & ſpirituum inopiam.

Interim tamen dicta voracitas ciborum podagræ viam ſtravit, atque liberalior vini compotatio; undè fermenta coctionibus dicata proſternuntur, ac coctiones præcipitantur & ſpiritus naturales diſperguntur, qui coctionis inſtrumenta ſunt neceſſaria: Hinc ingens humorum colluvies ſanguinem opprimit, ac viſcera ſuffocat, quo ſpiritus jam diu fatiſcentes ſuffocantur.

Nam si à sola spirituum debilitate dependeret hic morbus, infantes, atque eos, quos ægritudo diuturnior maceravit, pariter invaderet, cum robustissimos naturæ principiis præditos afficiat; quos tamen non aggreditur, nisi humorum languescentia, & spirituum inopia vitiatæ coctiones pervertantur, & calorem putrescentem acquirant; tunc dolores exquisitissimos in ligamentis, & membranis ossa contegentibus excitant, ac labefactatione humorum, vel laxato corporis tono, facile humoribus impetum facientibus locum concedunt, prout ansa hujusmodi humoribus in motum ciendis data fuerit.

Curationem quod attinet, licet humores corruptos respiciamus, atque indigestiones, undè originem trahunt, indicationes curativas ad humores jam factos evacuandos, deinde ad coctiones roborandas (undè aliorum humorum aggestio possit præcaveri) collimare debemus, ut coctioni, indigestionibus sublatis, consulatur, & illa, quæ ad humorum calorem leniendum, & acredinem retundendam facere possunt.

Sive jam ad ventriculum corroborandum, ut alimenta rectè coquat, ac debitam chylificationem producat, respiciamus; sive ad partes solidas corroborandas, quo me-

melius ſuccos nutritioni deſtinatos in propriam ſubſtantiam convertant. Sed cum ſpiritus animales, præcipua concoctionis inſtrumenta, ſtatuimus ab immodico calore, & exercitio conſumptos, undè coctiones non amplius ritè promoventur, ac ingens humorum colluvies ſanguinem opprimit, ac viſcera ſuffocat; donec tandem iſta materies calorem putreſcentem acquirit, prout anſa hujuſmodi humoribus in motum ciendis data fuerit.

Sed cum cauſa antecedens ſit humorum indigeſtio, à caloris & ſpirituum naturalium defectu orta, altera eſt cauſa continens, ſive eorundem humorum calor, & exæſtuatio, qui jam tum putredinem nacti ſunt, à mora in corpore quàm oportuerat diuturniore, quæ mora ab indigeſtione ſupra memorata pendet.

Sed hæ cauſæ ita toto cœlo à ſe invicem diſcrepant, ut, quæ huic proſunt remedia, alteri obſint, undè hic affectus ita curatu perdifficilis eſt.

Si enim medicamentis calefacientibus indigeſtionem humorum ſuperare velimus, periculum eſt, ne ex altera parte humorum calor intendatur.

Si autem remediis refrigerantibus, calorem & humorum acredinem mitigare

volumus, *in Apepsiam* accersimus, labefactato sc calore naturali, nam præcipua curandi intentio in eo verti debet, ut concoctioni, indigestionibus sublatis, consuletur.

Quapropter remedia, quæ sanguinem corroborant, & vegetum reddunt, ac ventriculi concoctionem adjuvant, præ cæteris prosunt: *Si modo eorundem calor in spiritibus vinosis, aut aromaticis, stomachicis, aut aliis calidioribus non consistat.* Quæ sanguinem aliquo modo calefacere possunt, præ cæteris juvant.

Nam singuli hi morbi, aliique chronici ad unam eandemque causam universalem, (*si recte conjicio*), humorum scil. indigestionem referri debent.

Quapropter Clarissimus ille THOMAS SYDENHAM, in aureo suo libello, de Podagra, aliisque morbis chronicis conscripto, his verbis seq. dicit: *Quod Therapeia* radicalis, *ad hos morbos, aliosque chronicos radicitus enervandos adhuc in* DEMOCRITÆO PUTEO *lateat, atque in Naturæ sinu recondatur, quamvis inducar credere, ejusmodi remedium inventum iri.*

Et eum, qui remedium ad hanc intentionem satisfaciendam invenire potuerit, longè majora in sanandis hisce morbis, aliis-

aliisque chronicis præstare posse, quam ipse se posse existimaverit, sed pergit ulterius.

Interim donec talis podagræ & aliorum morborum chronicorum curatio radicalis comperta fuerit, quod medicos omnes, me præ cæteris optare fas est, hanc meam opellam boni consulite.

Et quia Praxis mea jam per triginta & octo annos, potissimum circa morbos chronicos & acutos versata est sæpius volvi ac revolvi aureum illud Clarissimi Sydenhamii effatum, ac totam Therapeiam, in omnibus suis Regnis, acriter exploravi, sed nullum invenire potui medicamentum, quod hisce indicationibus curativis satisfacere possit, nisi illud unicum, in Martialium familia, scilicet, MINERAM MARTIS NATIVAM, in suis criptis subterraneis ad maturitatem perductam, & nondum igne passam.

Ex hac minera Martis nativa, singulari modo præparatur *Tinctura*, quæ hisce indicationibus quam plurimis, sed saltem non omnibus satisfacere possit, uti longa arte, experientia, ratione, & usu mihi sæpius explorare licuit, uti ex præcedentibus, aliisque casibus quam plurimis, luculenter constitit, & in sequentibus in amplissima forma patebit.

Nam

Nam ad hunc morbum curandum, aliosque chronicos quam plurimos, ingens mihi facessit negotium; quapropter in tota Therapeia nil intactum reliqui, quod indicationibus curativis, in præcedentibus allegatis, satisfacere posset; donec tandem inciderim in Regno minerali in Martialium familiam.

Sed mirandum sane, quod inter tot viros claritate ac doctrina celebres, qui suas præclaras opiniones in lucem ediderunt, & omnem moverunt lapidem, ut illa, quæ natura in abditis tenet inclusa, detegerent, pauci fuerint inter veteres, ac recentiores, qui qualitates *Mineræ Martis Nativæ* sedulo expenderint; si iis contenti esse velimus, certè in incertum navigaremus.

At ego per plurimos annos, certa ratione, & experientia edoctus sum, alias qualitates in ipsa minera Martis nativa latere, quam in Marte, aut Chalybe, ignem passo.

Sive hoc jam sit, quod partibus, principiis sulphureis, aliisque per ignem sit orbatus, quæ principia in ipsa minera Martis reperiuntur nativa.

Quamvis multum inter se discrepet, ex quibus abditis sive terræ recessibus sit effossa, tam in quantitate, quam quali-

litate principiorum, qua pollet.

Equidem fateor, etiamsi laudabilius sit, suos sensus exprimere, quam alienos, & reperire novas materias, quam alienis insudare; quod nihilominus vix ac ne vix quidem, me potuerim deflectere à via illorum virorum illustrium, eligens potius eorum auctoritati inniti, quam me novæ opinionis Auctorem profiteri.

Sed quando labore plurium annorum adeptus sum alias cognitiones de veris qualitatibus Mineræ Martis Nativæ, quam de martialibus igne passis, quæ in pharmacopoliis reservantur, ejus mineram accurate examinavi, & ex illa feci omnimoda experimenta, meæ intentioni consona, quæ est secernendi, ac talia in lucem prodendi, quæ in ipsa intimè dilitescunt minera.

Et quia in præcedentibus dixi, quod multum differat, ex quibus regionibus, aut criptis subterraneis sit effossa, ratione suorum principiorum, quibus sit imbuta, intelligi volo mineram Martis nativam ex criptis subterraneis Gelriæ, sive comitatus Zutphaniæ, propè Slangeburgum effossam, ubi cespites in maxima quantitate effodiuntur.

Ex ista Minera Nativa, seq. modo præ-

præparavi Tinct. palato gratam, ac omni acrimonia expertem, qua cum Antiscorbuticis, aliisque appropriatis remediis mixta, diversis indicationibus, morborum chronicorum curativis, satisfacere potui; quia plurimi unam eandemque causam agnoscunt, uti ex præcedentibus reperire licuit, & ipsemet jam per triginta annos, propria experientia expertus sum; nam profuit quam plurimis, sed non omnibus Ergò

℞. Min. Mart. Nativæ, cum additamentis, suo pondere, & mensura, singulis rite calculatis, ac mixtis. F. omnium pulv. subtilissimus, qui in massam reducitur, cum s. q. aq. Spadanæ, exindè formentur globuli, libram unam ponderantes, qui aëri libero (tempore sereno) exponuntur, præcipuè rori, at si pluat, tegendi sunt, donec ista minera in totum sit soluta, ac in vitriolum conversa, & quo diutius aëri libero exponatur, eò melius convertetur.

Nam sæpissimè per annum integrum extrahere debet, antequam minera in totum sit soluta, quod videri potest, si digitis friabilis reperiatur, cum pinguedine farinacea circa tactum, ut nullum pulverem sentire liceat amplius.

Ista materia coquatur, in s. q. aq. Spada-

danæ, per viginti quatuor horas continuas, materiam continuo agitando, donec Tinct. benè ſaturatam, ac Cereviſiæ Brunſwicenſis conſiſtentiam referentem, omni acrimonia expertem receperis, *hanc uſui ſerva.*

Sed quoad vires, ſenſus noſtros, & captum ſuperant, & limites excedunt. Nam plurimos habui homines viva potius cadavera mentientes, hujus Tinct. uſu, carnoſos, & benè habitos evaſiſſe, (uti in caſu primo, aliiſque liquet), & ventriculo mirum in modum confirmato, brevi temporis ſpatio, optimum chylum ſecretum fuiſſe; ac robuſtiſſimos factos fuiſſe.

Nam humores viſcidos, ac tartareos mirum in modum incidit, ac attenuat, & viſcera infarcta, & meſenterii obſtructiones tollit, ac ventriculum ſua adſtrictione corroborat, & nervis egregiè robur conciliat.

Nam ſerum ſanguinis, & humores excrementitios, non una via exturbat; ſed ventris ſordes, atro ſemper, interdum viridi, flavo, cæruleo aliquando colore tinctos, magna in copia evacuat, & tam varias naturæ diverſiones exercet, ut nulli credere fas ſit, niſi experto.

Nam plurimos habui, quibus ab uſu hu-

hujus Tinct. urinæ, menſes, hæmorrhoides ſimul fluerent, & tam varias, ac pugnantes uno tempore evacuationes provocaverint, quod vix ulla Pharmaca unquam præſtare potuerunt.

Nam urinas movet, & humores in venis contentas allicit, ac minimos humani corporis poros pervadit, ut nihil tam recluſum reperiatur, quo non penetret.

Verum qua ratione idemque remedium multis, iiſque contrariis morbis mederi poſſit, ſed illos etiam præſervare, & immunes reddere, & quæ impoſſibilia videntur, ſcrutari, mirum eſt.

Nam multum veritatis in DEMOCRITÆO PUTEO latet, & multa nobis ignorantiæ nebula circumfuſa ſunt, nec tamen ſenſibus fidem negare, omnemque ſcientiam mundo eliminare debemus.

Nam corpora tam ſana, quam ægritudine correpta, pari conatu conſervat, vires fovet, roborat, auget; nam confirmato ventriculo, optimus chylus ſecernitur, ac artuum tremoribus, vertigini, oculorum rubori, faciei maculis rubris, ac puſtulis à bile ortis medetur; ac ructus continuos, vomitus, atque ſingultus compeſcit.

Et quod mirandum ſæpiſſime paucarum

rum horarum ſpatio, dolores Colico-ſcorbuticos Pictonico ſimiles aufert, etſi per plurimos annos miſerrimum ægrum excruciaverint, qui neque aliis unquam in hunc uſque diem excogitatis remediis mitigari potuerunt.

Podagricos, Arthriticos retroceſſos dolores, internos compeſcit, & lentè ad corporis peripheriam deducit, ubi eorum ſedes eſt, dolores Podagricos producit.

Aſthmata humida ſcorbutica, cum tuſſi moleſta, & exſcreatione purulenti humoris, invicta, per plurimos annos continuata, ſumma cum debilitate conjuncta, cum appetitus proſtratione, & corporis atrophia, à plurimis medicis pro phtyſi habita, brevi temporis ſpatio in meliorem ſtatum reduxit.

Id nuper adhuc in me ipſo expertus ſum, qui Aſthmate humido ſcorbutico per annum integrum correptus fuerim, ac præ reſpiratione difficillima, vix pedem de loco in locum figere potuerim, cum exſcreatione tantæ humoris purulenti copiæ, ac debilitate ſumma, ut ſingulis momentis præ reſpiratione difficili, ultimum diem præ foribus eſſe putarem: Attamen Deo auxiliante, priſtinæ ſanitati reſtitutus ſum.

Hepatis, lienis, ac viſcerum obſtructionibus (*non ſcirrhoſis*) eſt auxilii præſentanei.

Aſcitide, Tympanitide, Anaſarca & Leucophlegmatia laborantes, ſola hac Tinctura, cum antiſcorbuticis ſelectis, ac diureticis balſamicis mixta, aut præcedente Tinct. ſingulis diebus ʒvj vel ℥j. cum ſ. q. aq. Spadanæ in quatuor, aut quinque vicibus exhibita, plurimi curati ſunt, qui adhuc ſuperſunt.

In ictericis diverſi generis, (*abſque hepatis ſcirrho*), ſcorbuto, cachexia, rhachitide, cholera, atque cacochymia, ac menſibus obſtructis, ſæpius experientia exitus probavit.

In febribus intermittentibus, quotidianis, & tertianis, ſæpius cum ſucceſſu adhibere licuit, & præprimis in morbo Epidemico Anni 1727 & 1728, aliiſque morbis à corrupta bile oriundis.

In Catharris, appetitu depravato, melancholia, ac paſſione hyſterica, & hypochondriaca, plurimum confert; ſed quicquid in renum calculo, aut nephritide proſit, mihi explorare non licuit.

Aſt in cæteris, quales virtutes ulterius poſſideat, Ruſpatori ſedulo indagandum relinquo.

Interim prædicta ſola Tinct. haberi poteſt

test apud hujus Libelli singularis AUCTOREM; & apud virum honestum, ac probitate conspicuum, JOH. GEORG. SCHIMMELPENNINCK Pharmacopæum, ac Diaconum Amstelædamensem, aliaque medicamenta selectiora.

Sed cum glandulæ, tum secretrices, tum reductrices, ab infarctu humorum, à succi nutritii distributione restibiles, præ obstructionis mora diutius detinuerint, sensim acorem contrahunt, in œconomiæ animalis detrimentum. Hujus rei exemplum habemus in acribus, & acidis CATHARRIS qui ortum suum debent serosis cerebri recrementis, ultra consuetum evacuandi tempus in glandulis retentis, & per stagnationem acorem causticum, biliosum contractis, quique à capite decidentes in ventriculum, acore suo chylum, & deinde sanguinem, cum succo alibili corrumpunt; sicque laudabilem chylum, in ACREM CAUSTICUM BILIOSUM commutant, uti fit in inveterato scorbuto, ubi miasma, ad summum malignitatis gradum, videtur aspirare; ut in cancro, & ulceribus scorbuticis cacöethicis, carnem, & ipsa etiam ossa depascentibus, quoniam tacito omnia fluunt incendio.

Nam calor adeſt perennis, qui ſingulis pulſibus accenditur, & ſanguinem exagitat, in œconomiæ corporis detrimentum, nec cordi, nec cerebro parcit. At undenam uſu venire poteſt, *inquies*, ut tot, tamque diverſa mala, ex unico illo fonte ſcaturiant, nimirum à labefactato chylo originaliter dimanent; unde fit, ut è depauperato, ac vappeſcente ſanguinis proventu, tenuis liquor exſtillet in partes cerebri nervoſas, à ſanguinis diſcraſia illuc delata, à labefactato ſanguinis circulo, glandularum emunctoria ſæpius muneribus ſuis deficere poſſint?

Quapropter nemini mirum videri debet, ſuccum nutritium à ſuis impuritatibus, ſeu ingeneratæ, ſive adventitiæ ſint, multo difficilius liberari poſſe, ac ſolere, quam ſanguinem à ſuis.

Hincque fieri exiſtimo, quod talis ſuccus nutritius in ſanguine ac humoribus depravatus, reliquis humoribus facilius miaſma Scorbuticum, Arthriticum, Podagricum conferat, ac graviora, & atrociora ſymptomata exerceat, quæ ex functionibus à cerebro & nervis magis emergere ſolent, quam ex qualicunque reliquarum partium læſione.

Et quacunque ſanguis diſcraſia, ſua bonitate fuerit exutus, reliqui humores

cor-

corrumpi necesse est, & sic vice versa; in Scorbuto, Arthritide, & Podagra tamen, non semper parem malignitatem inducunt, sed succus nutritius plerumque cæteris gravius peccat, quia per angustiores meatus, & tardiori admodum motu distribuitur; quo ejus defæcationi, si non pauciora, saltem minora, & obstructioni magis obnoxia comparata sunt emunctoria.

Si autem viscera, aut aliæ partes nobiliores, tumoribus obsessa scirrhosis, aut pulmones exulcerati fuerint, hanc curam non suscipias, nisi palliativam, ac famæ tuæ non minus consule, quam ægrorum saluti.

Nam in plerisque morbis chronicis, spiritus animales, (quæ præcipua concoctionis instrumenta statuimus), deficiunt; ac ingens humorum colluvies viscera suffocat, donec tandem ista materies calorem putrescentem acquirit; uti fit in fructibus maturis, vel prout ansa ejusmodi humoribus in motum ciendis data fuerit.

Nonne videmus quotidie in Athmosphæra, quæ non semper iisdem particulis sit inquinata, sed toto cœlo diversis, prout benigna aut maligna sint, & naturæ conditiones hominum admodum dif-

ferunt, quod uni noxium, alteri proficuum ſit?

Ergo non mirum! quod hoc, aut illud corpus, citius vel tardius inquinetur, talibus miaſmatibus, prout aër inquinatus, eminus, aut cominus, cum noſtris humoribus miſceri queat, eò morbi ſunt graviores, aut leviores.

Sed cum dolores Colico-ſcorbuticis ſimiles, Pictonicis æmuli, jam in dolores podagricos ſint mutati, ſed planè irregulares, & cauſam proximam, ab humorum indigeſtione, ac labefactata ventriculi coctione ſtatuimus, ergò cura inſtituatur, uti in ipſa Podagra, aliiſque morbis chronicis, quapropter tres proponuntur modi, quibus cauſam podagræ ejicere valeamus.

1. *Venæſectio*, 2. *Catharſis*, 3. *Diaphoreſis*, nulla ex his ſcopum attinget unquam.

Nam *Venæſectio* pugnat cum indicatione illa, ſcilicet cauſa antecedente, quæ fit ab indigeſtione, & labefactata concoctione ſpirituum defectu orta; etſi ſanguis, qui educitur, pleuriticorum ut plurimum referat craſin.

2. *Catharſin* quod attinet, cum lex naturæ inviolabilis ſit, morbi fomitem ſemper ad articulos rejici debere, ergò ni-

nihil præstabunt; sive emetica, sive cathartica, nisi, ut materia peccans, quæ in articulos eliminari debuerat, in viscera irruat, ac ita æger, qui in nullo vitæ discrimine versabatur, jam de vita periclitetur, cum ventriculi ægritudine, alvi torminibus, lipothymia, nausea, ructu biliosorum, vomitu, aliisque symptomatibus, tam horrendis, quam inexspectatis, miseri quasi enecentur.

3. *Diaphoresin* quod spectat, licet prædictis evacuationibus, minus officiat, tamen officere cernitur, propter rationes sequentes.

Nam humores crudos, vi quadam protrudit in artus, ut ritè separari nequeant, atque hoc pacto natura cunctantem paroxismum ante diem sollicitat.

Et si nimis vehementer materiam morbificam in affectum membrum impingat, dolorem simul producet intolerabilem; & si major sit materiæ peccantis copia, quam ut pars affecta queat admittere, illa mox in alios artus detonabit; undè ingens humorum exæstuatio; quapropter metuendum est, ne Apoplexia ingruat; nam periculosissimum est humores violenter, ultrà coctionis gradum elicere, ad quem humores sua sponte evacuandi pervenerint.

Sed jam oportet, ut inquiramus, ad quem alium ſcopum indicationes curativæ ſint dirigendæ; cum prima ſit humorum indigeſtio, à caloris & ſpirituum naturalium defectu orta. Altera humorum calor, & exæſtuatio, qui putredinem, ac acredinem nacti, à mora in corpore quam oportuerat diuturniore, quæ mora ab *inconcoctione ſupra memorata pendet.*

Sed cum hæ cauſæ à ſe invicem toto cœlo diſcrepant, ut, quæ huic profunt remedia, alteri obſint; undè hic affectus ita curatu perdifficilis eſt.

Si calefacientibus humorum indigeſtionem ſuperare velimus, periculum eſt, ne ex altera parte humorum calor intendatur; ſi refrigerantibus, labefactabitur calor naturalis.

Nam præcipua curandi methodus in eo verti debet, ut coctioni, indigeſtionibus ſublatis, conſuletur, & remediis, quæ ad leniendum calorem,& acredinem humorum retundendam facere poſſint, utemur.

Sive jam reſpiciamus ad confortandum ventriculum, ſive ad partes ſolidas corroborandas, quo melius ſuccos nutritioni deſtinatos in propriam ſubſtantiam convertant, ac varia excretionis emunctoria in eo corporis ſtatu conſervent, ut re-

recrementa ſingularum partium valeant diſtribuere, talia huic intentioni ſatisfaciendæ conferunt; ſive pharmaca ea fuerint, ſive victus, ſeu exercitium, aut alia quævis, non differt, ſi huic intentioni ſolummodo ſatisfacere poſſunt.

Qualia ſunt, quæ linguam leniter feriunt, & cæteras partes fovent, confortant, ac ventriculum corroborant, & ſanguinis maſſam vegetiorem reddunt, ac magis vitalem; quapropter varia remedia, ad hunc ſcopum tendentia concinnari poſſunt, quæ lubens medico prudenti relinquo, cum meum non ſit, remediorum formulas præſcribere, ſed potius veras indicationes notare, ad quas curationes ſint dirigendæ.

Quapropter in hoc affectu, de quo jam agimus, ita & in aliis morbis pleriſque chronicis, ſimilia remedia, quæ ſanguinem corroborant, vegetumque reddunt, præ cæteris juvant, *NB. modo calor in ſpiritibus vinoſis, aut aromaticis non conſiſtat.*

Nam ſinguli hujus generis morbi, ad unam eandemque cauſam univerſalem referri debent, *humorum ſcilicet indigeſtionem*, ſi rem rectè perceperim, quapropter talia præ cæteris conferunt, ſi modo chylum in propriam ſubſtantiam

convertant, ut singularum partium recrementa, debito tempore valeat amandare, talia huic intentioni satisfacientia contulerunt; sive pharmaca ea fuerint, sive victus ratio, sive exercitium, sive alia ex istis quælibet, *quæ sex res non naturales indigitantur.*

Qualia sunt, quæ ventriculo pergrata, sanguini medentur, & cæteras partes fovent, confortantque, ut Tinct. Min. Mart. Nat. Rad. Enulæ H. Chamædr. addi possunt Antiscorbutica, ut Rad. Rhaph. rust. fol. Cochlear. hort. Nasturt. aq.

Cum autem herbæ illæ acres, ac pungentes stomacho arrideant, atque in coctione juvanda conferant; attamen parcius usurpandæ veniunt, & ejus loco addendæ gemmar. pini, sive abietis, sed non majores debent esse, quam gemmæ populi, quæ ingrediuntur præparationem ungt. populæi.

Ex hisce gemmis arborum pini, sive abietis mense Aprili collectis, præparatur aqua per fermentationem, quæ reservetur usui.

Hæc aqua summa Antiscorbutia est, omni acrimonia expers, quæ partes balsamicas seri, ac sanguinis fovet, confortatque, cum Tinct. Min. Mart. Nativæ, sin-

singulis diebus ad ℥j. adhiberi potest, in convenienti vehiculo

Sic etiam aq. Cochleariæ Groenlandicæ, quæ summi est antiscorbutica, & sale volatili admodum gaudet; nam crescit in vallibus rupium, ubi aves, qui in maxima quantitate ibidem reperiuntur, fimum deponunt; meliora antiscorbutica mihi reperire non licuit, hoc in casu adhibenda.

Illa autem medicamina ventriculum corroborant, & sanguinis massam vegetiorem reddunt, ac magis vitalem.

Ex prædictis variæ remediorum formulæ concinnari possunt, ad hunc scopum tendentes, quæ Medico prudenti lubens relinquo, cum nunquam mei officii esse duxerim, remediorum formulas præscribere, at potius veras indicationes notare, ad quas curationes sint dirigendæ: quod cum minus observetur, Empyricis ansa data est, ut se artis medicæ principes jactent.

In cæteris Therapeia, tam latè extensa, & apud Auctores in ordinem digesta est, ut unusquisque pro lubitu sibi seligere possit, talia coctionibus roborandis proficua; MODO CALOR IN SPIRITIBUS VINOSIS, AUT CALIDIS AROMATICIS NON CONSISTAT; (*quod benè notandum*). Et

Et ſanè, uti in hoc affectu, de quo jam agimus, ita & in aliis chronicis pleriſque talia remedia proſunt, quæ ſanguinem corrobant, vegetumque reddunt, præ cæteris juvant, nam ſinguli ad humorum indigeſtionem referri debent; *ſi recte conjicio.*

Et quare peregrinatio eos morbos ita efficaciter expugnet, quorum curatio incaſſum tentabatur cum vita ſedentaria; & quod ſtupendum, ac incredibile emolumentum hi morbi non accipiant à corporis motu majore, ac exercitio, ab equitatione, aliiſque; quod genus exercitii digeſtiones ſingulas invigorat, firmatque, dum à continua corporis concuſſione, calor naturalis reaccendatur, & organa ſecretioni deſtinata, in munere depurandi ſanguinis rite fungendo promoveantur.

Undè digeſtionum deperditarum quaſi renovatio quædam, & craſis totius corporis optima exſpectanda eſt.

Sed obſervandum, quod remedia quæcunque, ſive diæta, aut exercitationes, non obiter inſtituenda ſint, ſed omni adhibita diligentia aſſiduè uſurpanda.

Nam cauſa ejus in habitum, & novam quaſi naturam tranſire debet, antequam perfectam curationis ſcopum poſſit

attingere, nam coctionum robur, & partium firmitudo, pededentim reſtaurari debet; pro modulo priſtinæ ac conſuetæ corporis œconomiæ.

Sed cum ætas ſenilis, quæ huic morbo utplurimum comes eſt, vehementer refragetur, tamen, quantum vires & anni ſinent, tentanda eſt curatio; & prout æger ad hanc curationis metam propius acceſſerit, aut receſſerit, eo longius podagræ tyrannidem, alioſque morbos chronicos magis minuſve effugiet.

Sed remedia in uſum revocanda ſunt, ſi fieri poteſt, à Paroxiſmo inſecuturo: Nec enim ſine magna temporis mora, ac remediorum uſu, tanta firmitas, quanta ſanguis, & viſcera requirunt, ſenio adverſante, poſſunt acquiri.

Interim ſingulis diebus bis utatur cereviſia Brunſwicenſi optima, aut Dantiſcana, Daventrienſi, aut alia cereviſia recenti, ac benè defæcata, ſi haberi poſſint, ac optime lupulata, ad ℥iij. pro tota die bis.

Sed habenda eſt ratio, quod in principio, ſi cura horum morborum inchoëtur, cibi, & potus mediocritas ſit obſervanda, neque plus ingeratur, quam ventriculus concoquere valeat; neque nimia abſtinentia defraudetur.

Sed

Sed obſervandum, quod *Tinct. Mineræ Mart. Nativæ* ad ℥j. cum Antiſcorb. mixta, modò non ſint calida, nec acria, in tribus, aut quatuor vicibus ſit aſſumenda, ſingulis diebus, pro ratione morbi ac ſubjecti debilitati; donec perfectum curationis ſcopum attigerit æger, quod in uno aut altero ſubjecto multum differt, prout morbus ille chronicus altiores egerit radices; in tali enim caſu, doſis Tinct. Min. Martis Nativæ augeri debet, ſingulis diebus ad ʒx. imo ad ℥ iß. cum aqua Spadana, loco Antiſcorbuticorum, aut fontana in quatuor, aut ſex vicibus aſſumenda, ac attendendum eſt, ut alvus ſemper ſervetur aperta, non purgantibus, ſed lenientibus.

Nam habitus corporis alio traducendus eſt, ac homo quaſi novo incude refingendus, ac concoctionum robur, & partium firmitudo ſenſim reduci, ac reſtaurari debet.

Et quo magis corporis robur confirmetur, eo magis appetitus vigebit, ut poſtea cibos omnes, etſi concoctu difficillimos, aſſumere, ac concoquere valeat; undè ſex res non naturales ſuum incrementum accipiunt.

Huc uſque noſtra opinio ſeſe extendit, quæ partim ex ſupra laudatis Aucto-

ctoribus, partim propria experientia congessimus, quibus rite observatis, plures à molestissimo hoc morbo, aliisque quam plurimis morbis chronicis liberati, adhuc supersunt.

Sed lente progrediendum est in cura, primo cum jusculis gallinaceis, vitulinis, & similibus, eorundem consumatis, expressis, gelatina &c.

Jusculа verò alterentur lactuca, intibo, chærefolio, aliisque refrigerantibus; hac victus ratione, ab hoc crudeli morbo plurimi liberati sunt.

Pro potu ordinario Ptisanæ usus præferendus est, ex Rad. Scorzon. Ras. C. Cervi cum Hordeo, aliisque, sed vina austera admodum nocent, propter austeritatem nativam, ventriculum & intestina lacessunt, eorum calorem naturalem frangunt, & alienum introducunt.

Sed sæpè tanta est virium prostratio, cum plures dies inter tormenta peregerint ægri, ut mox deficere se putent, nisi vino dissipatos spiritus, & animum gliscentem recreant.

Tunc conferunt vina generosa matura, ut Rhenanum, ac rubrum, nam interdum læsio, integræ virium jacturæ metu, toleranda est, ideoque sobriè utantur, præcautionis dictæ causa,

So-

Somnus ſit placidus & mediocris, iſque nocturnus, non diurnus, humorum acrimoniam temperat, corpus humectat, laſſitudinem levat, & urgente dolore, ſi qua arte procurari poteſt, dolorem mitigabit.

Contra vigiliæ, præſertim nocturnæ, corpus calefaciunt, humores incendunt, laſſitudines adferunt, & ventriculum crudis humoribus, & flatibus ac borborigmis implent.

Nam alvi laxitas conſervanda præ cæteris, & ejus adſtrictio omnium confuſio eſt. Ideoque huic malo præſertim obnoxii ſunt, quibus familiaris eſt alvi retentio.

Interim caveri debent omnia gravia animi pathemata, ut ira, moeſtitia, invidia, quæ quaſi animi deſponſio frequentior hujus affectus cauſa eſſe ſolet.

Venerem immodicam huic malo frequenter occaſionem dediſſe frequenti experientia didicimus, ut antea dictum eſt.

Interim ſi dolor, & bilis turgent, ſi ventriculus & inteſtina torqueri incipiunt, ſi noctes inſomnes ducit, ſi extrema frigent, confluentibus ab univerſo corpore in ventrem humoribus, immediata morbi cauſa præ foribus extat.

Tunc bilis omnibus machinis explo-

den-

denda est, ex præcepto DIVINI SENIS, Lib. *de Vet. Med.* ubi inquit: *si amarus aliquis humor, quem bilem nuncupare solemus, effusus fuerit, quænam anxietates, æstus, & impotentiæ detinent? Verum, ab illa liberati, aut spontanea purgatione, aut medicamento, modò loco & tempore aliquid horum factum fuerit, doloribus plane, & calore defunguntur.* Et paulò post: *mordere non desinit, donec ea bilis expurgata fuerit.*

Verum hoc opus hic labor, cum ejusdem Auctoris sententia, cocta medicari oporteat, non cruda, fluida, non contumacia, tenuia, non crassa; & pergit in libro citato: *quamdiu humores incocti, & minimè temperati fuerint, nec dolores, nec febres placari posse.*

Ideone biliosi humoris concoctioni prius incumbemus, quam ad ejus expulsionem accingamur? Minimè verò.

Nam Doctiss. DURETUS in HOLLERI *Praxin de Colico dolore Cap.* 41. inquit: *nam cum impetu quodam præcipiti humorum intestina irruit, ut sæpe fit in tempestate pestifera, tunc medicamentum analogum influenti materiæ, & dolorem facienti præscribendum, quod humorem citatum & motu quasi ferocientem excludat.*

Si verò bilem medicamento laxante commoveris, camerinam moveris, & dolores antea leniores, vehementissimos effeceris: quamvis remediis copiosa excernatur, cum plurima pituita permixta, repetunt tamen paulò post dolores non minus punctorii, quam mordaces, sed multo atrociores, qui dolores neque lenientibus, neque purgantibus, aut clysmatibus, neque aliis remediis cedunt, & fortioribus irritantur.

Nam dolores recrudescunt, & viscerum intemperies, ac præcordiorum æstus, anxium ægrum facit, quod in Colica Pictonica idem est; nam omnia hujus doloris Colici Scorbutici symptomata, tam exactè quadrant cum Colica Pictonica, ac si unus, idemque morbus esset; nisi quod Colica Pictonica mutato aëre, & victus ac potus genere, sponte, absque ullis medicamentis cesset, uti in præcedentibus dixi, de Capucinis, & Monachis Fuliensibus, mutato enim cœlo, & potus genere, omnes pristinæ sanitati restituti sunt.

Et Droetus *de virginibus* Casæ Dei, *non aliter sibi salutem quærere poterant, quam fuga & loci mutatione; &* Citesius, *de omnium ordinum Monachis præsertim Capucinis & Fuliensibus, quorum*

rum totas colonias ablegavit, & statim, sine ullo artis præsidio, sanitatem recuperarunt.

Sed cum D. D hanc Colicam Scorbuticam oppugnare voluerint, primo laxantibus, purgantibus, enematibus, venæsectionibus, narcoticis, aliisque innumeris remediis dolores mitigantibus, eò magis ingravescere malum, & fortioribus irritari, ac brachia & manus resolvi, ac paralytica fieri observarunt; nec ulla ratione, vel urgentis doloris, vel æstuantis in præcordiis bilis causam removere potuerunt.

Jam liquet, quantum sit operæ, & negotii pretium, in Colici doloris caussis radicitus amputandis; adeò novis symptomatibus, & novis mutandi consilii occasionibus sæpius interturbamur.

Sed ad hunc maligni humoris refluxum revellendum, atque præfervidam bilis acris & mordacis generationem inhibendam, præstantius remedium nullum invenire potui, nisi unicum, quod longo usu, & experientia edoctus, sæpe probatum habui, uti ex casibus præcedentibus conspicere licet, etsi in tota Therapeia pauca intacta reliqui, quæ non trutinæ subjecerim.

Si tamen bilis in morbi principio sur-

ſum feratur, & indicia ad nauſeam, aut vomitum extent, eam idoneo emetico, quale præſcribi poteſt pro varia ægri conditione, excludere juvat.

Sed Paralyſis, quam Colico morbo, à bile atra nato, ſupervenire diximus, etſi plerumque partis illius principis affectum ſequatur, ut cum ſpaſmo ſuccedit, nihilominus ſpinam ſæpius omnino affectam tenet, ut patet ex Pareſi utriuſque brachii, manuum & digitorum, aut etiam utriuſque cruris; cum in vera Paralyſi, alterutrum tantum brachium, aut crus ut plurimum affici conſueverit, quia humor, craſſa nempè pituita, alteram tantum medullæ partem obſtruit.

At in noſtra Colica Scorbutica, ac Pictonica, *acris & ſeroſus humor*, ex inteſtinis ad ſpinam tranſmiſſus, totam ejus ſubſtantiam irrigat, ac nervos emollit, & relaxat; imò verò acris ille humor, per totam cutem, ac nervoſum genus delatus, eam perpetuo vellicat, quàm ſenſibilis nimis æger reperitur.

Differt etiam hæc Paralyſis Scorbutica à vera Paralyſi, quod hæc ſubitò invadat, ſcorbutica verò ſenſim fiat; deinde differt, quod illa remediis vix ac ne vix quidem cedat, imò ſæpius ad mortem uſque comitetur; hæc vero reme-

diis

diis obsequentem se præstet, & partes affectæ robur suum, & tonum intra paucos menses recipiant, si præsertim idoneis remediis curentur.

Notandum est insuper, quod Podagræ maxime obnoxii viri sunt, qui licet imminutam habeant concoctionem naturalem, tamen ex quadam sanguinis luxuria, plus satis nutriunt, & incrementum sumunt, ex materia indigesta, loco substantiæ sanioris, & ritæ compactæ.

His itaque Podagræ obnoxiis in potu modus statuatur, ut iis utantur liquoribus, qui neque vel in maxima quantitate assumpti inebriare possint, neque frigore suo ventriculum lædere.

Quamvis enim sufficiat ei, qui Podagra mitius, ac tantum per intervalla laborat, vel cerevisia tenui uti, aut vino dilutiori, cum is morbi gradus tantus non sit, ut severiori regimini sese subjiciat; attamen si Podagra altiores egerit radices, pro potu utatur vino rubro, cum aq. Spadanæ quadruplici quantitate, atque hoc potus genere, tantum non imminuitur appetitus, sed & augebitur, nam hoc modo sibi à Calculo præcavebit, qui Podagræ ferè individuus comes est.

 Sed

Sed cum huic morbo, præ cæteris quibuslibet, melancholia vulgò dicta semper comes adhæreat, qui ei sunt obnoxii, spiritus animales, diu multumque cogitando fatigare solent, atque obruere, ut corporis œconomia amplius conservari nequeat.

In cæteris ferè omnibus, quæ ad impediendam humorum indigestionem, (quam ego primariam podagræ causam constitui), & ad sanguinem idcircò corroborandum, ac firmitudinem partibus conciliandam faciunt, Tinct. Min. Mart. Nativa cum aq. Fontana, aut Spadana, vel Antiscorbuticis mixta, & exercitium corporis, facile palmam præripiunt.

Præadvertendum est autem, uti supra monui, cum in hoc morbo, etiam magis quam in chronicorum quovis, totius corporis habitus immutari debeat, quod usus Tinct. præcedentis, & exercitatio corporis, quotidina debeant esse; hujusmodi enim usus, & exercitium, per vices intermissum, nil conferre potest ad habitum corporis mutandum; unde sine dubio corroborari debet, nam cruditates in chylificationis officina, & aditu mesenterii congestæ sunt, ac ventriculus vitiosorum humorum saburra est oneratus.

Quandoquidem conducunt Antiscor-

du-

ſbutica, quæ ſale volatili ubertim imprægnata, humores alterare, & ſenſim ad gradum ſpiritualcentiæ promovere valeant, ac ventriculi jam propè emortuum fermentum reſtituant, ad concoctionem minus tardam, & chyli ab inutilibus recrementis ſeparationem, in aditu meſenterii conducant; quia ſpiritus animales per totum corpus deficiunt, ob labefactatam concoctionem.

Adde, quod magnum pondus habere debet, materiam tophaceam, à longa requie admodum auctam iri in articulis corporis, maximè verò digitorum, ita, ut tandem omni motu priventur; quod malum ab exercitio quotidiano præcavetur; undè fit, quod exercitatio longa, & quotidiana, non tantum non officiat generationi tophorum, ſed etiam tophos veteres, & induratos ſolvat, modò non eo uſque invaluerint, ut cutim extimam in ſuam ſubſtantiam mutaverint.

Quod ſpectat exercitii genus, ſi nec calculus, nec grandior ætas intercedant, reliquis longè præferendum eſt. Sed quantum interſit, an quis ruri, an in urbe ſe exerceat, Podagricorum quivis ſtatim perſentiſcet.

Ex jam dictis liquet, qui hujus mor-

bi curationem molitur, id negotii ſibi dare debere credere, ut totius corporis habitum immutet, atque illud ad priſtinam conſtitutionem refingat, quantum per ætatem, & reliquas circumſtantias fieri poſſit: quod in paroxyſmorum interſtitiis, non in ipſis paroxiſmis annitendum eſt.

Quantò enim magis ægri dolores lenit, tantò magis humorum coctioni adverſatur, & quantò paroxyſmi furor, ac acies obtunditur, tantò diutius affliget; & omnes uno ore fatentur, morbum hunc ab humorum copia, & exuberanti plenitudine naſci, ergò caveat, ne in quantitate vel qualitate, ſive potus ſive ciborum genere peccetur, in curationis principio.

Quin imo in iis ſenibus, quorum concoctiones admodum vitiatæ ſunt, & qui à morbo per multos annos affligente, ipſam corporis ſubſtantiam, quaſi in Podagram habent converſam, minime ſperandum eſt, quod morbus ſine exercitio, & uſu Tinct. Min. Mart. Nat. cum aq. Spadana, vel Antiſcorbuticis, ſale volatili gaudentibus mixtæ, ad digeſtionem perducatur.

Cum enim morbus naturam viribus ſuperet, ſæpe moriuntur à languore, atque

que ægritudine, quam fomitis morbosi copia concoctionem respuentis apportat, & ab hac materia inconcoctili, quæ nullo modo potest assimilari, tanquam à veneno enecantur.

Quod si Podagra jam inveterata fuerit, atque æger ad animi diliquia, ventris tormina, diarrhæam, aliaque his similia symptomata propendeat, vix evitabit, ab aliquo paroxysmorum jugulatum iri.

In tali casu mox utatur Tinct. præced. cum Antiscorbuticis, sale volatili gaudentibus, sic materia peccans brevi temporis spatio, leniter ad artus demandabitur, & si hoc non fiat, plurimorum Podagricorum numerus iis symptomatibus jam periit; quibus maxime familiaris est ventriculi debilitas, ac languor, cum ventris torminibus, tanquam à flatu, borborigmis, & ad vomitum valdè proclives sunt, undè materia peccans, quæ ad artus amandari debuerat, in viscera rejicitur, mox sudor provocandus erit, methodo, & medicamentis, huic usui destinatis.

Cum enim in præcedentibus dixi, quod horum morborum causa antecedens sit abefactata humorum indigestio, à caloris, & spirituum naturalium defectu orta.

Sed altera, quæ eſt cauſa continens, ſive humorum calor, & exæſtuatio, ubi putredinem, tum etiam acredinem nacti ſunt, à mora in corpore quam oportuerat diuturniore, quæ mora ab inconcoctione ſupra memorata pendet.

Et quia hæ cauſæ à ſe invicem toto cœlo diſcrepant, ut, quæ huic proſunt remedia, alteri obſint, unde hic affectus ita curatu perdifficilis eſt; quia corporis habitus omnis alio traducendus eſt, atque homo quaſi novo incude refingendus.

Quapropter medicamenta, in præcedentibus memorata, omni adhibita diligentia uſurpanda ſunt, ac ejus uſum diu continuare debet, antequam Podagra, aut alii morbi chronici, radicitus exſtirpari, ac enervari poſſint, quod in uno, aut altero ſubjecto plurimum differt; nam humorum indigeſtiones ſublatæ, & calores, ac exæſtuationes à mora in corpore diuturniore, quæ ab inconcoctione ſupra memorata dependent, maturari, ac eliminari debent.

Adeò, ut ex permagna affectuum varietate colligere liceat, non ſemper ab una ſingulari, & ſimplici cauſa proxima exoriri, ac dependere, ſed à multiplici, pro ſubjectorum diverſitate; & quia

Tinct.

Tinct. Min. Mart. Nativæ, tam varias naturales diversiones exerceat, ut nulli credere fas sit, nisi experto, quam varias, ac pugnantes uno tempore evacuationes provocaverit, quod vix ulla pharmaca nunquam potuerunt præstare.

Nam ab usu hujus Tinct. Mineræ Martis Nativæ, cum Antiscorbuticis aut aq. Spadanis, labefactatæ humorum indigestiones, ac calores, à spirituum naturalium defectu orti, mirum in modum temperantur, ac brevi temporis spatio, labefactatam chylosin eliminabit; ita, ut ventriculus cibos omnes, etsi concoctu difficillimos, facile ferre, ac concoquere possit, ac novam chylosin producere valeat, unde calores, & spirituum naturalium defectus, in pristinum sanitatis statum reduci queant.

Sed causam continentem, sive humorum calores, ac exæstuationes, ubi putredinem, tum etiam acredinem nacti sunt, à mora in corpore diuturniore, quæ ab inconcoctione supra memorata dependet, maturare, ac eliminare debemus.

Quapropter alvus semper servetur aperta, non per medicamenta purgantia, sive laxantia, undè calores, & exæstuationes promoveri possint, sed solo sale Epso-

Epsonis, qui praecedenti mixt. ex Spadanis & Antisc. cum Tinct. Min. Mart. Nativae addi possunt, tanta in quantitate, ut alvus semper leniter laxa servari possit, sed non aliter, quam modo naturali.

Sicque brevi temporis spatio videbis, calores, exaestuationes, ac humorum putredines, atque acredines evanescere, liquescere, ac per quascunque vias eliminari; unde sine dubio perfecta chylosis sequi debet; in qua tota morborum plerorumque chronicorum cura consistere videtur, uti saepissimè plurimorum aegrotantium solatio expertus sum.

Haec sunt viri Clarissimi, (Collegii Medici Amstelaedamensis celeberrimi splendida lumina), quae in scribendo hoc libello, brevissimo quantum potui stylo, licet rudiori, ac inusitato, nullis verborum lenociniis interspersis, VOBISCUM communicare volui.

Hosce, qualescunque conatus meos, aequi bonique consulatis, unicum est, quod rogo & expeto. Nam plurima digito quasi tetigi, variaque hos scopos respicientia silentio praeterii, certus, multum differre ab universali, & latè diffuso scribendi genere. Sed quia descripta materies, tantis variationibus, tantisque in-

innumeris ſymptomatibus ſtipata eſt, ut ſine exitu videatur, facile in maximum Volumen extendi potuiſſet; ſed OHE! jam ſatis eſt, quapropter hiſce inponimus finem.

In præcedentibus modo vidiſtis, Viri Clariſſimi, Inſpectores COLLEGII MEDICI digniſſimi, quid non Antiquitas in enervanda COLICA PICTONICA ſimili peregerit; jam ex ſequentibus videre poteſtis, quantos labores Excellent. Vir, D. D. HENRICUS VAN BRONKHORST, MED. DOCTOR, ac Practicus apud Amſtelædamenſes celeberrimus, non impenderit ad hunc morbum tam atrocem enervandum, quamquam incaſſum, omnibus tentatis remediis, uti patet ex ſequentibus literis conſultatoriis, mihi traditis à viro vitæ integro, ac probitate conſpicuo, D. HIERONIMO DE BOSCH, Pharmacopœo peritiſſimo, COLLEGII MEDICI Inſpectorum Amſtelædamenſium celeberrimi membro digniſſimo; cujus perſuaſu ſequentem Hiſtoriam annectere licuit.

HISTORIA *brevis pertinacissimi morbi Nobilissimi Amplissimique Viri, ad Solertissimum Doctissimumque Virum,* H. BOERHAVIUM.

VIr Nobilissimus Amplissimusque dolore jam aliquot ab annis Colico & Hypochondriorum compressivo, flatuoso cum anxietatibus vix enarrabilibus, circa abdomen, lumbos & latus, præcipue dextrum sese extendentibus, fuit infestatus, modò (sed rarius) cum vomitu vel vomituriendi levi conatu conjunctis. Hæmorrhoides multis ab annis copiosissime fluxerunt, ad notabilem virium nonnunquam dejectionem.

Urina varia, heterogenea, cacochymica, scorbutica, ex obscuro rubicunda, instar Spleneticorum, Icterum nigrum quasi præ se ferens.

Quibus si adjungatur temperamentum, curæ magnæ protractæ, indefessæ circa res agendas, seriæque quævis meditationes, commotiones animi vix evitabiles, &c.

Judicavimus præcipuam morbi sedem positam, (consumptis sc. sanguinis humorumque partibus fluidioribus spirituosioribusque), in tardo sanguinis minus defæcati motu, per vias & viscera elaborandæ bili inservientia, vel in obstructione, stagnatione &c. unde ad hepar sese sistens, Bilis generationis, secretionis, excretionis, circulationisque, nec non ipsius actionis tam necessariæ inversæ & impeditæ produxit ansam.

An calculus in vesica fellea insuper lateat, ex crebrâ recidivarum tot ab annis inopinatò redeuntium pertinacia, potius suspicandum quam determinandum est.

Sufficit enim bilis inefficacia & torpor, vel impedita, ut jam dictum est, generatio, secretio & excretio, vel actio.

Cui tam difficili atrocique malo ut quantum poteſt succurreretur, varia variis in temporibus applicata fuêre remedia.

Ut enemata, purgantia, demulcentia, carminantia, anodyna, fotus, emplastra, linimenta abdomini

inini applicata, V. S. in pede, ſed abſque notabili ſucceſſu. Mixturæ variæ anticolicæ, contractioneſque viſcerum ſpaſmodicas impedientes. Decoctum flor. chamomill. ſem. dauci, fœniculi, cortic. aurant. & ſim. Pilul. ex gumm. marte aperiente, pulv. Marchionis, ſapone, croco & balſ. peruvian.

Interpoſito balſamo Antinephritico albo, in Amſtelodamenſi Pharmacopæa deſcripto, ubi aliquid ſeſe nephritici offerebat.

Extracta varia inſpiſſata, ut chelidonii majoris, fumariæ, taraxici, additis antiſpaſmodicis, cum floribus ſalis Ammoniac. Chalybeatis, inter quæ extractum ſtomachicum & uterinum excelluit, cujus deſcriptio hæc eſt.

℞. *Summit. Centaur. Minor.*
Herb. Matricar.
Rad. Angelic. aa. ℥iij.
Gentian. ℥iß.

Coq. cum ſ. q. aq. Coct. Colat. expreſſa evaporet ad conſiſtentiam conditi, addendo Balſam. Copayvæ ℥iß. *ol. macis ſtillat. gt.* X. *Salis nitri depurat.* ʒiß.
M. F. S. A. Extractum.

Vina Medicata varia, chalybeata, carminantia, antiicterica.

Interpoſitis paſſim purgantibus ex pilulis Ruffi, Mithridat. cum ſpecie hieræ & ſimilibus, non omiſſo tamen Rheo.

Aquæ Spadanenſes pro potu ordinario tempore æſtivo cum Vino ſunt continuata.

Tandem ſucci expreſſi antiicterici, antiſcorbutici ſunt exhibiti, ſeb abſque ſucceſſu.

Quæ quidem ita ennarrata eum in finem ſunt deſcripta, ut veſtro ulterius ſagaciſſimo prudentiſſimoque ſubjiciantur judicio, addendo, demendo, corrigendo pro re nata, prout placuerit, nec non excogitando, quæ in reconvaleſcentiam ampliſſimi multiſque de nominibus mihi venerandi Viri, ſi non plenariam, ſaltem ulteriorem ſint profutura.

Amſtelod. 20. *May.* 1728.

Totus Tuus
H. V. BRONKHORST.

INDEX MORBORUM.

DE *Dolore* COLICO, SCORBUTICO *simili, per sex annos durante, subitò in Podagram mutato.* Fol. 11
De Dolore COLICO-SCORBUTICO, *per quinque annos durante, in Podagram mutato.* 25
De Dolore COLICO-SCORBUTICO, *in Atrophiam mutato.* 29
De Dolore COLICO, SCORBUTICO *simili, in Hydropem Anasarcam mutato.* 30
De PODAGRA *inveterata.* 33
De PODAGRA *pulmonum lobos obsidente.* 42
Epistola, ad D. D. HENRICUM VAN BRONKHORST. 45
—— THEOD. VAN ZELST. 48
—— HENR. VAN BRONKHORST. 52
De COLICA PICTONUM, SCORBUTICÆ *simili.* 69
De SCORBUTO. 99
De PODAGRA ET ARTHRITIDE. 140
HISTORIA *Colicæ Scorbuticæ.* 190

TINCT. MIN. MART. NATIVÆ.

℞. MIN MART. NAT. propè Slangenburgum (in Gelria) effossæ. Libr. xvi.
SAL. TART. opt. calc.
SPADAN. ex fonte Pouhontio, leniter in salem evaporat. aa. Libr. iß.
TART. Rhenan. Electissim.
—— Italici rubr. aa Libr. ij.
M. F. Omnium pulv. subt.

Præparationem hujus TINCT. vide fol. 157. 158. 159

FINIS.